



An 6

IN LITURAM,
SIVE CASTIGATIONEM
CANCELLARIÆ
HISPANICÆ,

Editam sub nomine Fabij Hercyniani,

OBSERVATIONES & ANI-
MADVERSIONES.

*Prefatiuncula ad Lectorem inserta est brevis admonitio de novo
artificio Bavarorum, qui memoriale quoddam Baronis de
Tschernemmel, sub titulo Protocolli Heidelbergensis
Consiliarijs Palatinis mala fide ascribunt.*



ANNO c l o l o c x x i v .

IN LITURAM

SIVE ORATIONUM

CANCELLARIAE

HISPANICAE

EDITIONE

OBSERVATIONES & ANTI-

QUAE

Observationes & antiquae quae in litteris in scriptis hucusque adnotatis de notis
et antiquis quae in litteris in scriptis hucusque adnotatis de notis
et antiquis quae in litteris in scriptis hucusque adnotatis de notis
et antiquis quae in litteris in scriptis hucusque adnotatis de notis



anno 1534



Benevolo Lectori S.



*Prodiit superiori anno in lucem sub Fa-
bij Hercyniani nomine liber, excusus
Brugghovij, id est, Monachij, vel In-
golstadij, & Litura, seu Castigatio Can-
cellariae Hispanicae, inscriptus, quo no-
minatim vir Amplissimus, ac Clarissimus, Dominus
Ludovicus Camerarius, perstringitur. Etsi autem non
est dubium, Domin. Camerarium ita, uti par est, re-
sponsurum tum ad res, tum ad personalia, quae vo-
cantur: tamen quia Fabius etiam alios satyricè exa-
gitat, & se veluti communem omnium Unitorum, &
reliquorum avitae Germanicae libertatis amantium E-
vangelicorum (hos enim omnes per latus Calvinista-
rum petit) antagonistam profitetur, existimamus, ne-
mini eorum, qui Unitorum Imperij statuum consilij
interfuerunt, vitio verti posse, si & ipse suo loco fa-
mam & existimationem Unionis tueri, & tela at-
que ictus communis huius hostis depellere studeat. Pro
hunc itaque finem, & hoc consilio breves haec obser-
vationes & animadversiones conscriptae, & praecipue
ea, quae vel in facto, ut J. Cui loquuntur, aliter ha-*

bent, quam à Fabio narrantur, vel quæ fuco & coloribus ab eodem, decipiendi & in errorem pelliendi Lectoris ergo, obducuntur, notata fuerunt; de quibus omnibus candido & veritatis amanti Lectori iudicium permittimus: aperte interim profitentes, nec moris, nec instituti nostri esse, vel cum Fabio, vel cum quoquam alio convitijs & aculeatis dictis certare, sed potius scopum nostrum esse, veritatem indagare, & rationes rationibus, nullo modo vero maledicta maledictis opponere. Antequam autem ad rem ipsam accedamus, benevolus Lector de novo artificio, & stratagemate, quo Bavari Consiliarios Palatinos oppugnare conantur, necessario commonesciendus est. In superiori Germania notissimum est nomen Georgij Erasmi, Baronis de Tschernemmel, ex Austria superiori oriundi, & doctrina ac rerum usu celeberrimi. Ille post occupatam à Bavaris patriam suam, venit Pragam, & à proceribus atque officialibus regni rogatus, ut in consilio bellico Præsidis munus in se reciperet, amicis & confederatis morem gessit. Post infelicem vero pugnae Pragensis eventum, in Noricum, deinde Heidelbergam se contulit, ubi privatus vixit, donec Tillius cum Ligæ exercitu appropinquans obsidionem urbi minaretur. Inde in agrum Virtembergi-

cum discessurus, supellectilem chartaceam, & varia
manuscripta, & in his acta, quibus Austria superio-
ris statuum privilegia, jura, & alia arcana contine-
bantur, tribus aut quatuor cistis inclusa, apud hospi-
tam suam, Danielis Coddenij, mercatoris Heidelber-
gensis, viduam, deposuit. Capta à Tillianis urbe, for-
te fortuna Auditori Generali, quem vocant, hospitium
apud Viduam Danielis Coddenij à metatoribus attribu-
tum fuit; cumque famuli ipsius, prædæ causa, ut fit,
omnia perscrutantes, etiam in cistas, quarum supra
mentionem fecimus, incidissent, illæ cum omnibus libris
(erant autem selecti libri Historici, & Geographici) &
actis in manus & potestatem Auditoris pervenerunt.
Inter alia erat scriptum, in quod Baro in subsidium me-
morie Varia, res Bohemicas & Austriacas concernen-
tia, promiscuè, ac sine delectu, antè quam Heidelber-
gam veniret, retulerat. Hanc Rhapsodiam, sive memo-
riale Bavari, suo arbitratu interpolatum, sub specie &
titulo protocolli Heidelbergensis una cum suis glossis ve-
teratorie in lucem ediderunt. Ex ipso autem contextu,
& ex multis circumstantijs Lector fucum facile depre-
hendet, præsertim quia nec Præsidis, nec Consiliariorum
nomina, nec locus, nec dies, more in Cancellaria Pala-
tina recepto, ascripta inveniuntur; id quod certissimum

A D L E C T O R E M.

mala fidei iudicium est. Publice sane constat, Baronem de Tschernemmel nunquam in numerum Consiliariorum Palatinorum receptum fuisse, nunquam in Senatum, sive Consilium Electoris Palatini, vel Prage vel Heidelbergæ venisse, nulli unquam consultationi cum Consiliarijs Palatinis interfuisse. Quod vero ad glossatoris Bavarici criminationes attinet, ad eas vel ipse Baro, vel ipsius nomine communis patriæ amantes amici respondebunt.

INGRES



INGRESSUS
 IN
 CANCELLARIAM
 HISPANICAM,
 CVM
 ANIMADVERSIONIBVS
 ET
 OBSERVATIONIBVS.



IN ipso limine, & in §. Amisso igitur, &c. ait scopticè Fabius, Reformatæ religioni addictos (quos Calvinistas vocat) contra vetus proverbium Germanicum, post verbera ad verba descendere, & ab infaustis verberibus ad verba decurrere, ad linguam, & calammum. Respondetur, Bavaros priores in lucem edidisse Cancellariam Bavaro-Anhaltinam, in qua Uniti, & inprimis Reformatæ religioni addicti multorum atrocium criminum cum accusentur, nemo non videt, illis provocatis, de tuenda per publica scripta existimatione & fama, etiam invitis cogitandum fuisse. Unde facile apparet huius sarcasmi vanitas & futilitas. Ait deinde, multis abhinc annis armaria Germaniæ implevere, &c. Quasi vero hoc soli fecerint pauci illi status Imperij reformati,

formati, aut quasi Dux Bavarie cum socijs non idem fecerit! Constat, instructissima multis annis ante initium Unionis fuisse armamentaria, Dresde, Cassellis, Giesse, Wolfenbuttelij, Norimbergæ, Argentinx, Ulmæ, Lubecæ, Hamburgi, Brunsvici, item in ducatu Wirtembergico, & alijs in locis. Cur igitur Fabius solos Reformatos hac in parte accusat? Deinde cur dissimulat, Ducem Bavarie jam inde à triginta annis incredibilem armorum, & omnis generis telorum, ac sclopetorum vim Coloniae coemendam, & per medium Palatinatum, permittente optimo Principe, Friderico IV. Electore, in Bavariam subvehendam curasse? Cur dissimulat, ad ipsius imitationem Episcopum Augustanum, & alios superioris Germanie Ecclesiasticos itidem magnam armorum & sclopetorum copiam sibi certatim comparasse? Denique cur dissimulat, à tribus Electoribus Ecclesiasticis statim post contractum Ligistarum foedus arma, tela & sclopeto eo numero, & tanta copia, ut quatuor legionibus peditum, & duobus aut tribus millibus equitum armandis sufficerent, Coloniae itidem coempta, & adverso Rheno ac Mosella primum in ditio- nem Trevirensis, deinde in Lotharingiam subvecta, & apud Principem Vallemontanum, qui suam operam Ligæ addixerat, deposita fuisse?

Paragrapho in Bohemia &c. ait: Libido invasit Calviniano spiritu ebrios in alieno profanum fanum ædificandi, &c. Sed statim in ipso exordio suæ narrationis lectori imponit. Nam cives oppidorum Brumavij, & Clostergrabij, qui illa duo templa partim extruxerant, partim extruere adhuc volebant, erant & sunt Lutherani, & illi quidem ex vicina Silesia, hi vero ex contigua Misnia concionatorem evocaverant. Bis igitur hoc in loco peccat Fabius. Nam & reformatis ascribit, quod Lutheranos concernit,
& pro-

& prophana vocat phana Lutheranorum, quibus alioquin passim palpum obtrudit. Eodem paragrapho ait: Calvinistas apud tribunalia, si obtinere nil possint, jus sibi violentum dicere. Respondetur: Proceres Bohemos, qui, patientia sæpius læsa in furorem abeunte, manus Slavatae & Smotzanskio iniecerunt, Lutheranos fuisse. Fabius nihilominus reformatos accusat. Sub finem dicti paragraphi ait: Spes Calvinistarum per Bohemiam in perpetuum affligit. Sed suntne meliori conditione Lutherani in Bohemia?

Quæ porro Fabius evomit in Bohemos, tanquam rebelles, item quæ narrat de Comitis Mansfeldij discessu è superiori Palatinatu, item de Victorijs Tillij, illa omnia Bohemis, & Comiti Mansfeldio (qui mirabitur se à Fabio in Calvinistarum numerum referri) diluenda relinquimus. Unum hoc tamen silentio præterire visum non est, nimirum quod vers. De victo, &c. Fabius dicit, Darmstadiensem contra jus fas à Calvinistis, nihil hostile metuentem, captum fuisse. Malè. Nam Landtgravius Ludovicus, cum in petita, & articulos quosdam, sibi propositos, consentire nollet, & nocturno tempore ex arce Darmstadiana per notos secretos meatus clam exiisset, incidit forte fortuna in stationes militum Badensium, à quibus è fuga retractus, & Darmstadium reductus fuit. Jam judicet Lector, quam verè Fabius scripserit, à Calvinistis Landtgravium captum fuisse, nisi fortassis probet Marchionem Badensem una cum suis militibus Calvinistam esse.

Paragrapho, Tillius fugato ab omni parte hoste, &c. ait Fabius, novis vallis Heidelbergensib. temeritatem Calvinianam indidisse nomina, *Trutz Kaiser, trutz Bayr.* Sed monendus est Lector, speculam & turrem antiquam jam inde à temporibus Friderici III. Imperatoris vulgò vocatam fuisse *Trutz Kaiser*, centum & amplius annis ante,

B

quam

quam Calvinus nasceretur. Munimento vero vicino, nuper extructo, per iocum militarem, ut fit, nomen *Trutz Bayr* inditum fuit in postrema hac obsidione; uti aliud etiam parvum propugnaculum, loco declivi ibidem extructum, *Krayen nest* vocatum fuit: ita ut in re admodum parva Fabium tumultuari Lector facile animadvertat.

Paragrapho, Inter alios, &c. Plessenium etiam maledicto dente arrodit, quasi ille una cum Domino Camera-rio principem suum pravis consilijs everterit. Sed constat, ante editionem Cancellariæ Bavaro-Anhaltinæ à nemine unquam consiliarios Palatinos pravorum consiliorum accusatos fuisse. Bavari primi, quantumvis à Palatinis ne verbulo quidem læsi, illos publice in crimen & invidiam vocare non dubitarunt; & jam, quia Palatini ab ipsis silentium sibi imponi non patiuntur, plumbeas Bavari iras gerunt, & invectivarum ac Satyrarum finem nullum faciunt. Cur autem Fabius Camerarium & Plessenium solos oppugnat? Nulline alij Electori Palatino, & quidem majorum etiam gentium, consiliarij fuerunt? Porro si prava consilia de causa Bohemica intelligit, aut in magno errore versatur, aut Lectorem sciens fallit. Infra ad confid. secundam paragrapho Considerationibus, &c. vers. Authentica, &c. dicit, se omnia acta, omnes litteras, omnia scripta consiliariorum Heidelbergensium, Pragæ reperta, perlegisse. Si hoc verum est, legit etiam sine dubio paginas (una cum Protocollo) quibus quatuor consiliariorum Palatinorum, nempe Comitis Solmensis, Cancellarij, Plessenij, & Camerarij iudicium de Electione Bohemica continetur. Cum enim illi Francofurti essent, & ab Electore Palatino juberentur sententiam suam hac de re ipsi perscribere, illi diligenter quæstionem hanc examinarunt, & rationes tam pro negativa, quam pro affirmativa parte militantes,

litantes, in scriptum redactas, Electori (rem totam ipsius iudicio & arbitrio subjicientes) miserunt. Quod vero subicit, consiliarios Palatinos nolle fateri se errasse, etiamsi erratum esse non ignorent; nunquam, quod sciamus, illi dixerunt, sese nihil humani pati, nec errare posse: multo minus sibi sapientiam non defuisse, ut Fabius garrit, autumant; sed potius agnoscunt verissime scribi ab optimo Historicorum Cominæo, nullum esse aut fuisse, consilium aut Senatum in toto mundo adeò sapientem, quin aliquando erraverit. Quis autem erit adeò iniquus rerum æstimator, ut à consiliarijs eventum præstandum, & ex successu de eorundem prudentia vel imprudentia iudicandum esse contendat? Præterea super causa Bohemica sciendum est, Electorem Palatinum non tantum suorum consiliariorum, verum etiam multorum Principum, quarundam item Rerumpublicarum in Imperio, & extra Imperium, sententiam, & consilium exquisivisse, & tandem, nemine dissuadente, nec justitiam causæ in dubium revocante, ad Electionem & vocationem Ordinum Bohemiæ amplectendam animum induxisse. Quæ cum ita sint, nemo est, qui non videat, quam absurdum sit, velle jam ex eventu unum atque alterum inferioris conditionis consiliarium stultitiæ & pravorum consiliorum accusare, & omnes errores, si qui etiam ab alijs sive in regni gubernatione, sive in belli administratione commissi sunt, paucissimis consiliarijs Heidelbergensibus imputare. Post prælium Pragense fortunam cœpisse aperte in Ligistarum partes inclinare, notum est; sed hujus prælij infelicem eventum nemo sanus consiliarijs Palatinis tribuerit; defectus, & errores, qui propinquæ huius mali causæ fuisse videri possunt, enarrare, nec huius loci nec nostri instituti est. Post prælium tamen restabant duæ tertiæ & amplius

regni Bohemiæ partes ubi hostis pedem nondum posuerat: restabat integra Moravia, intacta Silesia: ad latus & in vicinia erat Princeps Transylvaniæ cum exercitu instructo, paratus ex formula Confœderationis, socijs & amicis auxilium ferre. Quod vero, his omnibus non obstantibus, non ea animorum præsentia & constantia apparuit, nec ea consiliorum & virium conjunctio, quæ vulgo expectabatur, & quam Ligistæ merito metuebant, sed potius, armis, & defensionis consilijs abjectis, inopinata, & penè incredibilem animorum consternatio, & subita deditio secuta est; hoc sine consiliariorum Heidelbergensium stultitiæ jure imputari potest? Et hæc erat in Bohemia rerum facies. In Germania integræ erant omnium Protestantium vires, intactæ illorum (Palatinatu inferiore solo excepto) ditiones: Unionis exercitus, rebus omnibus instructus, & hostibus non impar, in Provincia fertilissima, & ad bellum ducendum aptissima, castra habebat; Rex magnæ Britanniæ residuam Palatinatus partem in tutelam suam receperat; Rex Daniæ, Rex Sueciæ favebat, Ordines Unitarum Provinciarum auxilia subministrabant. Quæ cum ita se habeant, an pauci consiliarij Palatini tantopere reprehendendi sunt ideo, quod in ipsorum manu non fuerit præstare, ne vel Elector Palatinus, & Palatinatus, memorabili ad omnem posteritatem fragilitatis fœderum exemplo, deferreretur, vel ut communis Evangelicorum causa eodem animorum ardore, & constantia, qua Pontificij illam oppugnarunt, & oppugnant, à Protestantibus defenderetur? Sed heus tu, bone vir: noli nimis fidere ridenti fortunæ: vitrea est, & cum splendet, frangitur. Non semper durabunt hodierni animorum motus, passiones, affectus: brevi temporis spacio etiam rerum facies mutari, & timori, qui jam multorum animos occupat, justa & generosa succedere

dere

dere indignatio potest. Multus etiam est Fabius in deprædicandis Bavarorum & reliquorum Ligistarum fortibus factis. Sed si quis rem recta reputet via, & sine affectibus, facile deprehendet, Tillium cum reliquis Ligæ Ductoribus, quotiescumque cum paulo peritioribus & circumspicioribus belli ducibus ipsis res fuit, non semper egregiam adeo laudem aut spolia ampla retulisse. Verbi gratia, cum Tillius Comitem Mansfeldium sibi oppositum in finibus Bohemiæ & superioris Palatinatus haberet, cum Corduba Franckendalij obsidionem deserere cogeretur, cum Tillius cum Mansfeldio prope Wiselocum manus confereret, cum Archidux Leopoldus Hagenoam obsidens fuga sibi consuleret, cum Mansfeldium ex Palatinatu & Gallia revertentem Corduba cum veterano exercitu in Comitatu Namurcensi transitu intercludere conaretur: sane omnibus his in locis Tillius, Corduba, Archidux Leopoldus, victi fugatique potius, quam magnam aliquam laudem militarem meriti fuisse à multis existimantur. Contra collectios & novos exercitus, veteranus vester miles feliciter levibus prælijs aliquoties certavit: victoria certe, quam ex Marchionis Badensis copijs vos reportasse gloriamini, ut ab initio dubia fatis, nec incruenta fuit; ita militi Cordubensi maiori ex parte vulgo accepta fertur. Heidelbergam, à præsidio non satis firmam, & Manheimium, itidem certos ob defectus ad longiorem obsidionem sustinendam inidoneum, cum nulla Palatinatui spes auxiliorum ulla ex parte amplius affulgeret, cepistis. In prælio Pragensi veteranas Comitatus Bucoy, exercitatissimi ducis, copias ad latus, ac veluti antesignanas, habuistis. Hæc omnia ex publica fama nota sunt, nec à Fabio negari possunt: iudicium de re tota sit penes Lectorem.

Pergit Fabius, & addit: Consiliarios Palatinos eventa

B 3

fatis



fatis tribuere. Quid nî? Didicerunt nempe ex Sacra Scriptura, Providentiæ divinæ, omnium actionum humanarum moderatrici, tanquam primæ causæ, omnes mutationes, & vicissitudines rerum humanarum, rectè ascribi: id quod hîc eò magis locum habere cordatus Lector ex præcedenti causarum secundarum enumeratione, & status rerum tam in Bohemia, quam in Germania descriptione, nullo negotio colligere poterit. Nam secundum captum & iudicium hominum, res in Bohemia & Palatinatu longè alium exitum fortiri, nec tam facilis ac prompta victoria Ligistis obtingere debuisset videretur. Sed divinæ providentiæ, quam fata Fabius vocat, aliter visum est. Subjicit Fabius, Deum supercilia Calvinistica, ut nimis alta, despice-re, & pœnis persequi tumentes spiritus, &c. Verè, vos Bavari, ebrij estis facilibus horum trium aut quatuor annorum successibus, & tam altos vobis spiritus sumitis, ut cum Marte, imo cum ipsa morte pactum inijsse videamini, parum memores illius, quod est apud Livium: *Fortuna ex summo retrovolvi consuevit; & apud Plinium: Quæ spectatissime florent, celerrime marcescunt.* Ideoque optimo jure vobis occini potest, quod scribit Iulius Cæsar lib. 1. de bello Gallico: *Consueffe Deos immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, his secundiores interdum res, & diuturniorem impunitatem concedere.*

Paragrapho Anno, &c. ait Fabius, cum anno huius seculi 7. 8. Cæsar subsidia adversus Turcas postulasset, non magis faventes Calvinistas, quam ipsos Turcas, invenit. Respondetur, Fabium fortassis nullis unquam Imperij Comitij interfuisse. Qui autem interfuere, sciunt, non tantum Reformatos, sed ferè omnes in universum Lutheranos, imo complures etiam Pontificios non admodum
ad

ad talia subsidia subministranda propendere, cum experientia ipsos doceat, pecuniam, quæ sub prætextu belli Turcici ab Ordinibus petitur, ut plurimum maiori ex parte in solutionem privatorum debitorum, in sumptus aulae, & in præmia ministrorum aulicorum converti. Quod subjicit de partu equi Troiani, Lector monendus est, Unitis, qui defensionem causæ Iuliacensis ex parte susceperant, necessario fuisse instituendam expeditionem in Alfatiam, ut copiæ Baronis Francisci Krichgingij, quas ille Archiduci Leopoldo subsidio mittere decreverat, ibidem detinerentur. Istic est ille partus equi Troiani, ut ampullis verborum Fabij utamur.

Pergit Fabius, & Conventum Protestantium Anno 1619. Norimbergam indictum, concilium Calvinistarum vocat; imperitè, & insulse. Intererat conventui Elector Palatinus, Mauritius Landtgravius Hassiæ, Legati Electoris Brandenburgici, Ioannis Comitis Palatini ad Rhenum, & Principum Anhaltinorum: hi reformatam religionem profitentur. Aderant deinde Duces Saxoniae Weimarienses, Marchio Anspacensis, Dux Wirtembergicus: præterea legati Marchionis Culmbacensis, Marchionis Badensis, & Unitarum circiter viginti Civitatum: aderant legati Ducum Luneburgensium, qui Cellæ aulae sedem habent, Ducis Brunsvicensis, Comitum Wetteraviæ, Comitum & Nobilium Franconiae & Kreichgaviæ, qui omnes (exceptis nonnullis Comitibus Wetteraviæ) Lutheranorum nomine gaudent. Jam Lector judicet, an Fabius rectè, & vulgato illi: à potiori fit denominatio; convenienter conventum Noribergensem concilium Calvinistarum nominaverit? Subjungit: Missi ab eo conventu ad Bavarum Monachium hostes potius, quam legati, adeo infesti eorum vultus, trucia verba, minæ feroces, ut gerere jam bellum,

bellum, jam indicere viderentur, &c. Sed vivunt adhuc Fridericus Comes Solmensis, & reliqui tres legati, quos audimus provocare ad omnium, qui cum ipsis conversati sunt, aulicorum Monachiensium, præcipue vero Baronis Toringij, supremi præfecti stabuli, Baronis de Gumpenberg, Domini de Wensin, Domini Tanneri, Tribuni militum Mottagnij, magistri culinæ, & aliorum, qui ipsis in mensa affuerunt, testimonium, an vera sint, quæ de infestis vultibus, trucibus verbis, minis ferocibus legatorum Fabius hic commemorat. Sanè vix quisquam eorum, qui illos norunt, Fabio fidem habebit. Quod de belli indictione Fabius aspergit pari vanitate, illius Lector refutationem videre potest in responso Germanico ad Cancellariam Bavaro-Anhaltinam par. 2. cap. 10. Nu. 9. Et in eodem libro omnia etiam diluuntur, quæ hîc in paragrapho, Nihil jam de Bohemis, &c. de Cancellaria Bavaro-Anhaltina à Fabio asseruntur,

Circa considerationem primam.

Circa hanc Fabius in Paragrapho Vos Principes, &c. ait, Unitos sive Reformatos primos authores esse seditio- nis in Bohemia. An hoc verum sit, videat Lector Respon- sionem ad Cancellariam Bavaro-Anhaltinam par. 1. cap. 5.

Verficulo Neque porrò, &c. ait: Calvinistis inditum bella ex bellis ferere, pios inauditis supplicijs mactare, &c. Sed hæc propria sunt Romanensium, ut liquido apparet ex inaudita crudelitate, qua superioribus annis Pontificij in miseros Vallis Tellinæ & Rhæticiæ incolas Evangelicos sævierunt. Errat verò Fabius, dum subjungit, Augustanæ Confessioni addictos ægre laturos, quod Reformati Evan- gelicorum nomen sibi vendicant. Nam illi nullam his ea
de re

de re controversiam movent. Addit, Reformatos, quos semper odiose Calvinistas vocat, ex sacro Bibliorum Codice sacrilega manu permultos libros excidisse. Sed nescit, aut callide dissimulat, etiam à Lutheranis eosdem libros pro Apocryphis haberi. Quinimo Lutherus ipse dubitat de Epistola Iacobi, quam tamen pro Canonica Reformati habent: & ita Fabius, dum Reformatos sacrilegij falso accusat, eadem opera, & quidem multo magis, ipsum Lutherum, & Lutheranos eiusdem criminis insimulat. Sane apparet, Fabium perfunctorie potius, quam ex fundamentis hac de re loqui. Nam, si paulo melius in Theologicis esset versatus, non posset illum latere, à Concilio Laodicensi statui, & ab Hieronymo in præfatione in libros Salomonis, uti etiam in prologo galeato, doceri, libros Iudith, Tobix, Maccabæorum, item Ecclesiasticum, & Sapientiam Salomonis legi ab Ecclesia posse, sed non recipi debere inter Scripturas Canonicas; & debere quidem legi ad ædificationem populi, sed non ad confirmandam fidem Ecclesiæ. Nullos ergo libros ex Biblijs Reformati exciderunt, ut Fabius falsissime asserit, sed relinquunt, ut habent etiam in suis Biblijs, libros Apocryphos, & legunt illos, sed ex doctrina Hieronymi inter Scripturas Canonicas non referunt. Quod attinet ad illud, quod à Fabio additur, Calvinistas esse similiores in religione Turcis, quam veteri Christianorum Ecclesiæ: rogatur veritatis studiosus lector, ut librum, ante aliquot annos in Anglia de Turco-Papismo editum, inspicere non gravetur. Nam ibi luculentam hujus, qua Fabius & alij Pontificij Reformatos hac in parte traducunt, calumniæ refutationem, & Romanenses in religione Turcis, quam priscis Christianis, similiores esse, deprehendet. In vers. Præfervida &c. sub finem dicit causam proscriptionis Palatini fuisse, quod pul-

C

fatus,

fatus, & pulsus, supercilium adduxisset, novas opes, nova auxilia conquisivisset, rediturus non emendatus, non supplex, sed adversa fortuna ferocior, nec gratiam, sed bellum paraturus. Confundit tempora Fabius, & se ipsum. Quomodo enim ante promulgationem proscriptionis, sive banni, constare de hoc animo & proposito Palatini, quomodo Viennæ sciri tempore publicationis sententiæ banni poterat, Palatinum non supplicem sed adversa fortuna ferociorem fore, & bellum reparaturum, cum inter prælium Pragense, quod in 28 diem Octobris Anni 1620 st. Vet. incidit, & inter sententiam banni, 2 Ianuarij An. 1621 Viennæ publicatam, vix duo menses intercesserint? Equidem tum temporis Palatinus nondum in Hollandiam pervenerat, nec cuiquam mortalium constare poterat, illum de continuatione belli potius, quam de pacis ineundæ ratione cogitaturum. Progressu deinde temporis coactus fuit de defensione consilium suscipere, quod videret vos Electoratu Palatino inhiare, & illum avito patrimonio exuere constituisse. Hinc valde fit verisimile (id quod etiam compluribus alijs argumentis evinci potest) sententiam banni etiam ante prælium Pragense delineatam, & conceptam, sed publicationem tantum certis de causis usque ad illum diem dilatam fuisse. Vnde colligere facile est, ea quæ proscriptionem secuta sunt (qualia sunt illa, quæ Fabius narrat) non potuisse esse causas proscriptionis, cum per rerum naturam causa effectui suo posterior esse nequeat. In paragrapho Quare &c. nugatur Fabius asserens Calvinistas omnia fidei capita abjicere. Apparet, illum melius in verificando, quam in Reformatorem libris, versatum esse. Sed nos hæc mittimus, quia nec huius loci sunt, & simpliciter negantur.

Paragrapho Quod finis &c. Fabius prolixè invehitur in
inter-

interceptores litterarum scriptarum à Nuntijs Pontificijs, qui Viennæ & Bruxellis commorantur, item à Cardinale Ludovisio, & alijs; in eodem fasciculo etiam una atque altera Cæsaris Epistola reperta fuit. Rem totam imputat Fabius Calvinistis, quamvis non probet, milites qui forte fortuna in veredarium incidentes fasciculum litterarum ipsi abstulerunt, Calvinistas potius, quam Lutheranos, aut etiam Papistas (horum enim multi, ex vicina præcipue Gallia & Lotharingia, in Mansfeldij castra confluxerant) fuisse. Fasciculum vero apertum, & Cæsaris litteras promiscue una cum reliquis, per homines suspectissimos scriptis, ab hominibus militaribus in castris perlectas fuisse, nemini adeo mirum videri potest. Superior Palatinatus totus occupatus erat à Bavaro, & inferioris vix quarta pars in potestate Palatini remanebat, & tu, F. inter arma & bombardarum vestrarum tonitrua litteras, ex quibus adversæ partis consilia cognosci possent, apertas fuisse conquereris? Belli Bohemici illud bellum appendix erat, ijdem, qui in Bohemia, hostes. In bello verò, & causa Bohemica, uti verè privata, Cæsarem non Cæsaris, sed Archiducis personam repræsentare, & proinde Archiducis jure censerì debere, multis in locis demonstratum fuit: inter cetera in Responsione Germanica ad Cancellariam Bavaro-Anhaltinam par. 2. in observationib. Num. 9. Vers. Sed observemus, &c. inter alia dicit bellum Norinberga Pontificijs indictum fuisse; sed negatur, ut videri potest in d. Resp. ad C. Bavaro-Anhaltinam par. 1. cap. 7.

In §. Sed Dona werda, &c. dicit Calvinistis ne tres quidem uncias de omni Christianismo superesse, & pro ratione adducit, quod Sacramenta omnia ablegata sint. At si hæc consequentia bona est, vix etiam Lutheranis (quos tamen Fabius passim se excipere, & comiter observare

profiteretur) tres unciae de omni Christianismo supererunt, quia & illi non minus, quam reformati, Pontificiorum commenticia Sacramenta rejecerunt, solis duobus, sacra nimirum Cœna, & Baptismo, retentis. Porro in reformatis Ecclesijs, aut in earundum Confessionibus doceri: Impios cœlum (sunt verba Fabij) intraturos: hoc constantissime negatur, & probatio Fabio incumbit.

Paulò post subjicit, Reformatos Augustanæ Confessionis privilegij non gaudere. Sed non est Bavarorum, nec reliquorum Romanensium, statuere & decernere, quàm ex Protestantibus Augustanæ Confessionis addicti, quive ab ea dissentire dicendi sint. Cæsari Maximiliano II. in Comitijs Augustanis Anno 1566. Ordines Augustanæ confessionis diserte hoc indicaverunt, ut inter alios videre est apud Æmiliam Chreggene in velitatione de 7. Sacri R. Imperij officialibus pag. 5. Quæ de templis Reformatorum, de pileo capiti semper inhaerente, & de Cœna Sacra evomit, uti veteres, & rancidæ, & centies à Reformatis refutatæ calumniæ, apud moderatum, & omnia veritati, nihil verò affectibus tribuentem, Lectorem, responsione non egent.

In §. At animum tuum, &c. ait: Ego nullum Calvinistam unquam vidi flexo poplite numen venerari. Parcius ista Fabius Calvinistis obijcienda meminisse debebat, quia nec Lutherani poplite flexo in templis precari vulgò solent. Debebat meminisse suos cuique genti ritus, suas ceremonias in templis esse. In Germania vulgò Protestantes omnes stantes precari solent; nec tamen stantium preces Deo ingratas esse vel ex publicani exemplo Lucæ 18. discere poterat Fabius noster, melius, uti conjectare licet, in Ausonio fortassis, & Martiale, quam in Novo Testamento versatus. Genevæ, & in Gallia, uti notum est, omnes

omnes Euangelici, tum domi matutinas & vespertinas, tum in templis publicas preces ad Deum genibus flexis concipiunt. Unde liquet, vel Fabium nunquam in Gallia fuisse, vel nullum Euangelicorum templum ingressum esse, vel incognita pro cognitis Lectori obtrudisse. Iterum eodem loco Theologum agit, dicens: In Missa Christum adoramus, quem specie panis latentem credimus, quod id Christus credi iusserit, cum dixit: Hoc est corpus meum. Equidem Reformati credunt panem esse corpus Christi, quia Christus dixit: Hoc, id est, hic panis est corpus meum: non autem credunt corpus Christi pane latere, ut Fabius ait, quia Christus hoc non dixit, sed dixit panem esse corpus suum. Ut igitur Fabij consequentia bona sit, probandum ipsi erit, eadem esse: Panis est corpus meum, & in pane latet corpus meum.

§. Frustra, &c. Muntzerum, ducem ac Calvinisticum tubicinem Rusticorum vocat, cum tamen tempore Muntzeri nomen Calvini in Germania inauditum esset. Deinde ait: Nos furorem Zwingliani Euangelij solum compescuimus; imò vos Pontificij etiam Lutheranum Euangelium ex Bohemia & Moravia relegastis. Causam Gebhardi Truchsesij, Electoris Coloniensis, omnes Lutherani, præcipue verò tres Electores seculares, approbarunt; & Ludovicus Palatinus Elector, Augustanæ confessioni addictissimus, omnium Protestantium Conventum Mulhusium indixit Anno 1583. in eum finem, ut ibi de defensione Gebhardi deliberare posset. Hos conatus impios, & Calvinistica desideria vocat Fabius, palam injurius in magnos illos Principes, Augustanæ Confessionis Patronos, & sive ignorans, sive parum memor, tum temporis inter omnes Protestantes solum Ioannem Casimirum Palatinum Calvinistam audivisse.

Verficulo Proceres, &c. sic ait: Proceres Calviniani à Camerario, à Plessenio, ac similibus, furenti spiritu inflati Martem sibi iufauftum ex Orco revocarunt. Sed quæritur, qui sint illi Proceres Calviniani? Fabius pauculos Reformatos insectatur, cum tamen constet, totam Unionem, re deliberata, exercitum sibi necessario conscribendum decrevisse. A Camerario & Plessenio Unitos furenti spiritu inflatos, & ad bellum impulsos fuisse, nunquam Fabius inveniet in actis, quæ se legisse jactat: & Uniti omnes testabuntur, Fabium Bavarico typho & maledicentiæ spiritu inflatum hæc falso evomuisse.

§. Non de fugio, &c. astruere conatur, translationem Electoratus Palatini in Baviaræ Ducem universæ Germaniæ profuturam esse. Verum Electores Saxonix & Brandenburgi in alia sunt sententia, uti per legatos suos Ratisbonæ apertè sese declararunt, sicut videre est in Resp. ad Can. Bavaro-Anhalt. part. 2. in votis Ratisbonensibus.

§. Iesuitæ: vers. de hæreticorum pœnis: ait: Cum Lutheranis in Imperio certa fidaque pace vivimus, nec metuimus, nec metuimur, idque ex solo Sacro-sancto pacto. Item circa confid. 10. §. Etsi tu ludas; vers. Vanitas, &c. ait: Per nos immortali pace gaudebunt, qui Augustanæ confessionis sunt. Item circa confid. 14. §. religionis: dicit: Lutherani sciunt, se sincere ac tuto nobiscum in eodem imperio degere. &c. Sed revera plurimi ex illis dubitant, & non sine causa. Nam vident, in Becani libro de fide hæreticis servanda cap. 10. pactum religionis, quod Fabius sacro-Sanctum vocat, pactum per se illicitum appellari, & statui quòd illud à Catholicis servandum sit ad evitandum majus malum, & quia aliter facere non possunt. Vnde apparet, cessante maioris mali metu, cessaturam etiam pacem religionis, & per consequens falsum esse, quod hic
Fabius

Fabius asserit de immortali cum Lutheranis pace. Nec ad rem facit, quod à Moguntino, & alijs Romanensib. blande occini Lutheranis solet, Becani, & aliorum Iesuitarum hac de re opiniones esse concertationes, & disputationes Scholasticas, quæ Principibus Catholicis non obstant, quo minus pacem religionis bona fide observent. Nam si cum Lutheranis certa, fida, immortali pace vivunt, ut ait Fabius, Catholici, cur non concedunt Archiepiscopo Magdeburgensi, & Bremensi, reliquisque inferioris Saxonix Episcopis indulta, protectoria, conservatoria, quæ tot jam annos flagitant nequicquam? Cur, vos Romanenses, non cavetis illis per litteras solennes reversales, ut vocant, vos in æternum nihil moturos propter Archiepiscopatus, & Episcopatus, quos possident? Cur tres Electores Ecclesiastici in suis ad Vicecancellarium Leopoldum à Stralendorff litteris adeo vehementer veluti manibus pedibusque obluctantur, ne talia protectoria concedantur? Hinc lector facile videt pacem cum Lutheranis, quam Fabius certam fidamque esse asserit, revera infidam esse, & multum habere insidiarum. Prudenter sane fecerint Protestantes nostri Germanix, si præsentia tempora, & hodiernum Imperij statum, & an non apud Pontificios cesset jam majoris mali metus, qui hætenus illos ad pactum religionis servandum adegisse videri potest, diligenter consideraverint; si item perpenderit, quid sibi velit, quòd Adamus Contzen Iesuita libro 9 Politicorum cap. 42. scribit, Tridentinum concilium suscipiendum esse, ut pax Germanix reddatur.

§. Nihil ejus &c. ait: Nec digni morte nobis sunt Confessionistæ, nec illis nos sumus. Sed nonne Lutherani nominatim quotannis per Bullam de Cœna Domini à Papa excommunicantur, cujus excommunicationis hic effectus est,

est, ut absque ulteriore cognitione in damnatos cuiq; animadvertere liceat? Nonné Ungersdorfius vester omnes Protestantes, etiam Lutheranos, in suo libro dicit vita indignos esse; id est, dignos esse morte, quod tu negas? Nonné Schioppius in Classico belli sacri omnes Lutheranos, & non plebeios tantum, sed ipsos Principes, & imprimis eos, qui bona Ecclesiastica occuparunt, è medio tollendos esse passim inculcat? Qua in parte illos tibi, & te illis aperte contradicere, nemo negare potest.

§. Placet. vers. Vanitas &c. ait, Palatinum cum suis libertati Germanicæ compedes minitatum esse. Verum hoc æque verisimile est, ac si diceret, ovibus imminere periculum à canibus, & à pastoribus, qui pro earum salute contra lupos excubant, & propugnant.

Circa considerationem secundam.

§. Quod Carolo V. &c. mirum est fateri Fabium, hominem, ut videtur, multæ lectionis, ignorare se, quid controversiæ Paulus Quartus Pontifex Ferdinando Cæsari, in locum Caroli fratris substituto, moverit. Potuisset rem totam apud Villoam in vita Ferdinandi, apud Thuanum, & alios legere. Longè verò maiori admiratione, imo risu dignum est, quod, si Pontificis postulata in Comitijs explosa sunt, id sibilis Calvinisticis factitatum esse asserit, vel potius divinat. Nam in Comitijs nihil hac de re Statibus Imperij propositum fuit; & tum temporis vix ullum ex Ordinibus reformatam religionem professum, vel odioso Calvinistæ nomine indigitatum fuisse, constat; ita ut planè insulsum sit, quod Fabius de sibilis Calvinisticis sibi imaginatur.

Circa

Circa considerationem III.

§. Rem magnam, &c. ait Fabius, Palatinum Pragam profectum Regium solium invasisse. Sed publicè constat, Palatinum post solennem Electionem, quam Bohemis competere, communis ferè totius Europæ opinio erat, ab Ordinibus in vacuam regni possessionem introductum fuisse. Et quod Calvinistas à ratione desertos, & stolidam Palatini resolutionem fuisse asserit, jam ex eventu ita judicare facile est; sed tempore Electionis & Coronationis longè aliam rerum faciem, & in longè alia sententia non tantum vicinos aliquot reges, Principes, & Respublicas, sed etiam ferè omnes status Protestantes Imperij, & quam plurimos doctrina, experientia, & judicio præstantes per Germaniam viros, fuisse certissimum est. Quæ subjicit vers. Bohemia, &c. ad illa omnia responderetur passim in Resp. ad Can. Bavaro-Anhalt. ad quam Lectorem remittimus.

§. Quid amplius, &c. agit de interpretatione litterarum ad Zunigam. Sed quidquid dicat, huc saltem res redit, ante prælium Pragense, & ita ante publicatam banni sententiam, Electoratum Palatinum Bavaro promissum, & donatum fuisse, & quidem *ultra, ac sponte*, id est, Electoribus inconsultis; id quod Capitulationi & Electorum prærogativæ consentaneum non esse, à consiliarijs & Legatis Electorum Saxonix & Brandenburgi in conventu Ratisbonensi demonstratum fuit, ut videre est in Resp. ad Cancell. Bavaro-Anh. parte 2. in votis Ratisbonensibus.

§. Ut firmissime. vers. Porrò fuit, &c. Hungariæ deficientis, nutantis Austriæ, Viennæ seditionem parturientis, Silesiæ, Moraviæ, Lusatix, ad defectionem spectantis, & insanientis, ut loquitur, Bohemiæ culpam Fabius Calvinistis

D

nists

nistis ascribit, cum tamen constet, in omnibus illis regnis & provincijs rerum summam & arbitrium non à paucis Reformatis, sed à multitudine Lutheranorum dependere, & his invitis nihil moveri aut mutari posse. Viennæ etiam vix ullum Reformatum inveniri, notum est. Per latus itaque Calvinistarum, à Fabio & ipsius similibus, Lutherani & hîc & passim petuntur.

§. Venis; vers. Invisum exemplum, &c. mentionem facit Regij in arce Pragensi Sacrarj: sed hæc calumnia refutatur in Resp. ad Cancel. Bavar. Anhal. par. 2. cap. 6. Subjicit: Cum professis Augustanæ Confessionis nulla inimicitia nobis, nullæ rixæ. Imò gravissimæ, mî homo; id quod satis liquet ex longo Catalogo gravaminum, quæ Status Imperij, Romanæ religioni addicti, in Comitibus contra omnes Protestantes allegare, & Cæsari exhibere solent. Hæc Fabius vel ignorat, vel dissimulat. Nullæne vobis rixæ cum Principibus inferioris Saxonie propter Archiepiscopatus & Episcopatus? Nullæne sunt rixæ Electori Coloniensi cum Duce Brunsvicensi de Episcopatu Hildesheimensi? Ait deinde: nec ob religionem illis insidiamur. Rectè, ob religionem, quanquam de ea etiam re dubitari merito potest: ob bona Ecclesiastica certè vos illis insidiari, luce meridiana clarius est. Notanda itaque est Fabij æquivocatio & hoc in loco, & supra circa considerationem primam, §. Frustra tubam, &c. ubi sub finem ait: Religio Protestantibus in tuto erit, si nos ab ijs fuerimus: sed an bona Ecclesiastica etiam illis in tuto futura sint, per mentalem Iesuiticam reservationem, uti ipsi loquuntur, astute omittit.

Vers. Non enim, &c. negat Reformatis ullum esse jus per provincias Imperij. Sed Fabium & reliquos Ligistas incompetentes iudices hac in parte esse, ostensum fuit
supra

supra circa Confid. I, in §. Sed Donawerda.

§. Veriora. vers. Ferro, &c. quod de everforibus Germanici Imperij dicit, hoc refutatur in Resp. ad Can. Bavar. Anh. par. 2. num. 28. pag. 326.

§. Epistola. vers. Et quamvis, &c. quæ Fabius de temporibus Calvinistico Marte turbatis adducit, ea Lector refutata reperiet in Resp. ad Cancel. Bavar. Anhalt. par. 2. nu. 29. pag. 327.

Ait vers. Igitur: Quod Cæsar fecit, Cæsarea potestate fecit, summoque jure, &c. Sanè summum jus sæpe summa injuria est, secundum illud vetus; & quantum ad Cæsaream potestatem attinet (cui in suis terminis manenti alioquin nihil omnino derogare volumus) Legati Saxonici & Brandenburgici in conventu Ratisbonensi demonstrarunt, in casibus Capitulationis, & in specie in præsentiquæstione eam locum non habere. Videantur vota Ratisbonensia, & Epistola Electoris Saxonix ad Moguntinum, in Resp. ad Cancel. Bavar. Anhalt. par. 2. Præterea I. Cti. docent, absolutam Principis potestatem non habere locum contra eos, qui plenarie & simpliciter subditi non sunt, sed suas sibi libertates & privilegia reservarunt, quales omnes status Imperij, præcipue vero Electores, esse extra dubium est. Besoldus de Apellatorio juvamine cap. 2. §. 18. pag. 67.

§. Epistola. vers. & quamvis. pag. 76. Fabius passim Palatinum cupiditatis regni Bohemici accusat, & hoc loco illum eidem inhiasse ait, antequam antecessor moretur. Sed verius de Bavaris dici potest illos jam inde ab aliquot centenis annis Palatinatui inhiare. Hoc liquet ex pactis, Anno 1524 Norimbergæ à Bavaris astute propositis, & à Palatinis bona fide cum iisdem initis: quam rem prolixè narrat Hubertus Thomas lib. 6. & 13. Annalium de

vita Friderici 2. Palatini. Thuanus etiam sub finem lib. 2. Hist. scribit, cum Carolus V. Friderico Palatino, in gratiam recepto, bona, ac pristinam dignitatē restituisset, Wilhelmum Bavarum agnatum, qui spe obtinendi Septemviratus Cæsarianas partes secutus credebatur, hoc ægerrime tulisse. Wilhelmus etiam Bavarus olim per suos legatos se Palatinum Comitem apud exteros semper appellari volebat, suppresso Ducis Bavarix nomine. Qua de re Hub. Thomas lib. 13. Annalium narrat ridiculum errorem Caroli Quinti Imperatoris, in Hispania pro Palatini legato alloquentis legatum Ducis Bavarix, qui putans se clementissime dimissum, paulo post se errasse animadvertit. Præterea Duces Bavarix, quoties investituram more consueto in aula Cæsarea petunt, simul etiam petunt investituram juris, & dignitatis Electoralis. Cæterum his non contentus Dux Maximilian. qui jam rerum potitur, ante aliquot annos per publica scripta, à Gewoldo edita, Palatinæ domui de Electoratu contra expressam & inviolabilem Auræ Bullæ sanctionem, controversiam movere non dubitavit, hac nimirum spe, facile in perpetuis hisce Protestantium & Pontificiorum statuum Imperij dissidijs evenire posse, ut sibi, à rebus omnibus ad vim faciendam parato, & Pontificij fœderis Duci, aliqua ex insidijs invadendi & occupandi Palatinatus occasio offerretur. Vnde conjicere facile est, & quem scopum Maximilianus, socia arma cum Austriacis jungens, habuerit, & quàm avide oblationem Electoratus Palatini, à Cæsare factam, arripuerit. Palatinus certe ne verbo, imo ne nutu quidem unquam Bavarum læserat, sed summo semper honore & cultu fuerat profecutus. Consilium non est hic, ad imitationem Fabij, versiculos allegare de ambitione, & natura mortalium avida (ut Salustius ait) imperij: tantum lectorem monere visum est, Bavarum
eadem

eadem ratione agendi, seu stratagemate potius in Palatino ex Electoratus possessione dejiciendo, quod Catharina Medicea, regina Galliarum, femina astutissima, olim Cosmo Mediceo, de sessionis & dignitatis prerogativa cum Ferrariae Duce contendenti, suggestit, usum fuisse. Dicebat enim illa, impraesentiarum satis esse, si controversiam de prerogativa Cosmus Ferrariensis moveret. Sic enim eveniturum, ut jus Ferrariensis in dubium revocaretur, & ille paulatim de possessione dejiceretur: quod & paulo post accidit, ut scribit Thuanus histor. lib. 44. Planè consimili modo, occasione belli Bohemici Bavarus in Electoratum, de cujus jure ante aliquot annos litem moverat, sese intrusit. Verf. Quasi verò &c. ait: Tota Germania, nisi qua Calvinistica, Palatinum damnavit. Respondetur: In liberis Comitibus, & metu armorum remoto, probabile est, totam Germaniam, nisi qua Pontificia est, pronuntiaturam esse in Palatini proscriptione, & Electoratus in Bavarum translatione, ordinem juris, in Capitulatione praescriptum, minime observatum, jura communia & aequitatem naturalem neglectam, & Electorum dignitatem atque auctoritatem multis modis violatam, denique in tota hac actione ac processu contra Palatinum, notabile & omnibus Evangelicis Imperij Statibus formidabile praesudicium & exemplum à Ligistis introductum fuisse.

§. Idem &c. agit Fabius de transactione Ulmensi. Sed in illam Bavaros non uno modo peccasse, sic demonstramus. Transactio illa inter Ducem Bavariae & Marchionem Anspacensem in hunc finem inter alia fuit inita, ut diffidentia inter Protestantes & Catholicos tolli, & major reciproca confidentia sanciri posset, ut in ipso exordio verba, à Lundorpio in Latinum sermonem ex Germanico conversa, expresse sonant. Vos Bavari autem Cancellariam

Bavaricam in lucem edendo, contra verba, & mentem transactionis fecistis. Nam ipsum Marchionem Ioachimum Ernestum, Ducem Wirtembergicum, Marchionem Badensem, civitates Unionis, & reliquos Unitos, quantumvis Lutheranos (ut de reformatis nihil dicamus) per totam Europam infamare, & atrocium criminum accusare non erubuistis: unde certe præcedentem diffidentiam, suspiciones, & animorum exulcerationem (quæ per Transactionem Ulmensẽ sublatæ esse putabantur) renovatas esse, & vulnera, quibus obduci cicatrix cœperat, recruduisse credibile est. Porro ea omnia, quorum Unitos insimulatis, ante pactum Ulmense acciderant, & proinde bona fides non patiebatur, ut ea per publicum & dentatissimum scriptum odiose refricarentur. Deinde in servando pacto bonam fidem non agnovistis, quia Dux vester in conventu Mulhusiano per suos legatos una cum Electoribus Anno 1620. Cæsari suaserat, ut comminationem Banni Palatino insinuari curaret: Et tamen in transactione Ulmense, quæ conventum illum secuta est, ille promittit (ut Lundorpij versio Latina habet) neque se, neque alium Principem Catholicum, Vnitorum ditiones (inter quas etiam Palatinatus expresse nominatur) qua ratione & præensione id etiam fieri vel excogitari queat, quibuscunque præparationibus bellicis invadere velle vel debere. Quomodo igitur bona fide, & salvis huius transactionis verbis, Dux Bavarix oblationem Palatinatus accipere potuit, cum manifestum esset, occupari Palatinatum non posse sine armis, & sine invasione hostili, cui per hanc transactionem non multò antè expressè renuntiaverat? Fabius quidem, ut occupationem Palatinatus jure factam fuisse astruat, diversis in locis Mansfeldium, & Veerium, quòd priores Ulmense pactum violaverint, accusat. Verùm
Mans-

Mansfeldius, cum videret, Tillium ex Bohemia, Bavarum ex Bavaria cum omnibus Bavaricis copijs, & toto Ligistarum exercitu, superiori Palatinatu immine, quis neget, illum justissimam causam habuisse, à Canonicis Bambergensibus & Wirtzburgicis flagitandi, ut copias suas ex castris Bavari & Tillij avocarent, nec per illas Palatinatum invadi sinerent? Quod cum illi non facerent, nonne pro hostibus meritò haberi poterant? Deinde non videmus, quo pacto Horatius Veerius transactionem Ulmensem violasse dici possit, hospitia assignando parti peditatus & equitatus in uno atque altero pago Episcopi Spirensis, qui jamdudum cum Spinola colludendo, eundem ope & consilio contra Palatinatum inferiorem juvando, cum Corduba denique contra Veerium conspirando, prior eandem transactionem multis modis violaverat. Denique omnia illa, quæ à Fabio de Episcopo Spirensi, & Archiepiscopo Moguntino, à Mansfeldio & Veerio vexatis narrantur, etiamsi à nobis concederentur, tamen ad excusandam Electoratus Palatini oblatis acceptationem parum faciunt, utpote quæ toto vertente anno postea acciderint, nec à Bavariæ Duce tempore oblationis & acceptationis prævideri potuerint. Ostendat ergo Fabius, quomodo oblatio Electoratus bona fide accipi, Palatinatus deinde illæsis transactionis verbis hostiliter occupari, & occupatus juste & honeste retineri & possideri possit?

Conferte laborem, vos Advocati Monachienfes, lateras ingeniorum vestrorum excutite, componite, susurrate; partem hic suat, partem iste sarciat; aliquid procudite, aliquid protrudite: (liceat enim, & fas sit, verbis quæ Fabius §. Verum, &c. sub finem Lituræ suæ usurpat, uti) laterem profecto lavabitis. Omnes enim cordati & candidi Lecto-

di Lectores facile videbunt huc optime quadrare illud, quod præstantissimus historicus Guicciardinus lib. 7. de Ludovico duodecimo, Gallix rege, memoriæ prodidit. Ludovicus, bonus alioquin, & generosus Princeps, Ioannem Bentivolium, Bononix rerum potentem, in fidem & tutelam suam per amplissimas ac solemnes litteras receperat. Cum autem paulò post Iulius secundus, Pontifex Romanus, Bentivolium hostiliter persequeretur, & rex Pontificem gravius offendere nollet, ait Guicciardinus, illum in promissis & litteris suis (quas Bentivolius urgebat) interpretandis, in morem vafri caufidici potius, quam magnanimi regis, cavillatum fuisse.

Circa considerationem IV.

§. Scopus, &c. ait Palatinum ad Imperium aspirasse: alteri cuidam Principi, malo & tecto astu diadema detulisse. Sed hæc diluuntur in Resp. ad Cancel. Bavar. Anh. par. 1. cap. 3. Quid porro Lectori de probatione illa videtur, quam petit Fabius ex litteris E. T. S. I. signo militari inscriptis? Fabius illas ita interpretatur: Est tempus sumendi imperij. Quomodo autem ipsi constare potest, litteras illas Latinam potius, quam Gallicam, aut Germanicam, aut Belgicam, aut Bohemicam, aut Hungaricam, significationem habere? Ex his enim nationibus exercitus erat compositus. Quamvis etiam constaret Latinè illas litteras esse interpretandas, tamen longè alium sensum, quam qui à Fabio excogitatur, ex illis pro libitu elici posse nemo non intelligit.

Quæ §. Inspexi, &c. de civili sacrilegio, & de crimine læsæ Majestatis. vers. Vacante, &c. Fabius blaterat, illa refutantur in Resp. ad Cancel. Bavar. Anhalt. par. 1. cap. 3.
Com-

Commentum etiam de novo nummo, Norinbergæ cuso, quo fundamento nitatur, legi potest in d. Resp. par. 2. cap. 10. num. 6.

§. Superfedere &c. sub finem ait: Nobis Catholicis adhuc aurea bulla Sacrosancta fuit, eritque etiam deinceps. Fabius & reliqui Monachienses sibi ipsis contradicunt. Nam si aurea bulla ipsis Sacrosancta est, non debuisset tum author illius, tum dispositio, iniquitatis & injustitiæ accusari à Fabio, qui suprâ circa confid. 2. §. Electorum &c. expressè dixit Carolum Quartum Bavaris Electoratum contra jus & fas eripuisse, nempe per auream bullam, per quam in Comitibus Metensibus, omnium frequentissimis, de consilio & sententia Ordinum Imperij Comitibus Palatinis ad Rhenum in perpetuum adjudicatus & attributus fuit Electoratus, quem tamen vos Ligistæ, non obstantibus fortissimis clausulis ejusdem bullæ, à Comitatu Palatino ad Rhenum divulgum Duci Bavarix Ratisbonæ, in una eademque causa accusatores, testes, assessores, advocati, iudices, tota Germania, quâ Evangelica est, stupente, adjudicatis. Siccine Sacrosancta vobis Aurea bulla est? Imo pro plumbea potius, & pro Lesbia quadam regula, consilij & desiderij vestris applicabili, eam à vobis haberi, & hoc recenti exemplo probatur, & temeritate, ac fastu, quo ante aliquot annos post mortem Matthiæ Imperatoris Vicariatum Electoris Palatini in dubium revocare, & vos ex illo præfractæ eximere non estis veriti. Ite ergo Monachienses, & vobis Auream bullam Sacrosanctam esse dicite.

Circâ considerationem. V.

§. Ex loquaci. vers. Quam rem &c. frustra conatur Fabius

E

buis

bis verba Caraffæ, Nuntij Pontificij, in alienum sensum detorquere. verba Italica sunt: *Il Rè sarà Padrone in Fian-dra, & l'Imperatore in Germania. Esser padrone*, ut norunt omnes Italici sermonis gnari, est imperare, & dominari suo arbitratu, & pro libitu.

Circa considerationem VI.

§. Increfcit, sub finem ait, simile exemplum nos habere in proſcriptione Ducis Saxonum Ioannis Friderici. Imo diſſimile. Carolus V. nihil actionis aut juris privati contra Saxonem allegabat: inobedientiam erga ſe & Imperium prætendebat, ut notum eſt ex Sleidano, & alijs historicis. Proſcriptio autem Palatini pro principali fundamento habet cauſam Bohemicam, quæ privata eſt, & domum Auſtriacam, non autem Imperium, proprie concernit. Præterea Saxo & Lantgravius obedientiam Carolo V. per diploma publicè renuntiarant, & bellum ſimul indixerant: quorum neutrum à Palatino factum. Quæ verſ, Vos regnum &c. de Bohemia, & de abdicatione regis legitimi ſcribit, ea paſſim in Reſp. ad Can. Bav. Anh. diluuntur; in ſpecie par. 2. cap. 4. pag. 158. & ſeq.

§. Ad Calumnias. ſub finem ait: Cæſar regem (ſcilicet Bohemiæ) defendere poteſt, & rex Cæſarem. Reſponde-tur primo: jus regium controverſum fuiſſe inter Ordines Bohemiæ (qui alium regem elegerant) & Cæſarem. Se-cundo; etiãſi ponatur Cæſarem ſine controverſia regem Bohemiæ fuiſſe, tamen certum eſt, regem Bohemiæ in Ele-ctores, collegas ſuos, nullum jus habere; multo vero mi-nus bannum Imperij contra illos promulgare poſſe. Hoc enim Cæſari ſoli quatenus Cæſar eſt, cæteris paribus, com-petit. Cæſar igitur, ut Rex Bohemiæ conſideratus, poteſt ſubveni-

subvenire Cæsari, non in qualitate Cæsaris, sed in qualitate regis Bohemiæ, & de facto quidem, ut loquimur, sive armis, nullo modo vero per bannum Imperij; ejus decernendi & publicandi jus regi Bohemiæ non competit. Cæsar porro, etiam in qualitate Cæsaris consideratus, in propria causa per leges Imperij Germanico-Romani, Electoribus præsertim inconsultis, & juris ordine non observato, judicare, & Electorem Imperij in bannum declarare nequit. Quod verò Fabius addit: Qui duas personas sustinet, neutrius privilegium amittit; hoc ad rem etiam non magnopere facit. Nam Cæsar in hoc nostro casu, & in causa sua privata, non duas personas, sed unam tantum sustinet, nempe Archiducis Austriæ, & ideo illum Archiducis privilegio frui libenter concedimus. Archiducis autem non est contra Electores Imperij bannum decernere.

§. Hoc mihi minimum &c. ait Imperatorem Electores omnes audivisse super proscriptione Palatini in conventu Mulhusiano; voluisse etiam alium edicere, si Calviniana Furia bellum non præcipitasset. Sed verba sunt: qua de re prolixius agitur in Resp. ad Can. B. Anh. par. 2. in notis ad vota Ratisbonensia.

§. Deinde, vers. imo verò ivistis &c. ait, Calvinistas ivisse Viennam, causamque egisse accusatione jaculatoria, magno cum tonitru non verba, sed pilas mittendo in ipsum Sacrosanctum Cæsaris cubiculum. Respondetur dupliciter. Primo Fabius iterum confundit tempora, quæ illum distinguere par erat. Nam nemo ignorat, Bohemos cum suo exercitu propè muros Viennæ confedissee multo ante, quam Palatinus in regnum Bohemiæ veniret; id quod etiam liquet ex Lundorpij actis publicis cap. 66. Deinde totus ille exercitus Bohemicus fere ex meris Lutheranis compositus, sub Comitibus Turnij, Hohenloij, Felsij, & aliorum

rum Ducum Lutheranorum (Princeps enim Anhaltinus nondum aderat) imperio fuit. Unde candidus Lector vanitatem & levitatem Fabij, Calvinistas loco Lutheranorum accusantis, facile perspicere poterit.

In eodem §. Vers. habeat sane, &c. Concedit Fabius, habere Cæsarem suum judicem, cum aut injuriæ, aut damni apud alios auctor est. Fas sit in libero Imperio amore antiquæ libertatis Germanicæ (& sine omni præjudicio Cæsareæ sublimitatis) quærere, quæ sit ratio? Nempe, quia æquitas naturalis hoc requirit. Sed nonne eadem, vel maior etiam ratio militat in illo casu, quando Cæsar injurias perpetitur, aut læditur? Cur non igitur ex trita I. C. rum regula ubi eadem ratio est, ibi à Fabio, nomen I. C. ti qui sibi vendicat, idem jus statuitur? Nec est, quod Fabius regerat, ex Palatinorum sententia Cæsarem debuisse, abjectis armis, jure agere contra armatos, aut Palatinum ipsum debere esse judicem Cæsaris in hac controversia. Nam jam antè dictum fuit, hoc tantum velle Palatinos, Cæsarem, sive Senatum aulicum non fuisse competentem in causa Bohemica judicem, nec jure potuisse bannum Imperij contra Palatinum decernere, & multo minus vi illius banni Electoratam in Bavarum legitime transferre. Hoc dixerunt, dicunt, &, ut apparet, dicturi sunt Palatini: nec immerito, ut ipsis videtur. Nam si (aiunt) Sigismundus Imperator in litteris ad Conradum, Archiepiscopum Moguntinum, Anno 1426. exaratis, de controversia, inferioris Germaniæ provincias tangente, scripsit, *sibi jus super istas provincias prætendenti integrum non esse in propria sua causa judicis munus obire*, quo jure Senatus aulæ Imperialis, sive Cæsar F. in causa Bohemica judicis munus obire potuit? Item ait Sigismundus, *quia ipsa quoque lis nobile Imperij feudum concernat*, habito cum Principibus, Comitibus, & confi-

confiliarijs confilio, *omnino aequitati convenire se judicasse*, ut non nisi Proceres Imperij de ista controversia cognoscant & judicent. Nonne lis Bohemica omnium nobilissimum Imperij feudum concernit, & proinde nonne aequitati conveniret, Proceres Imperij de ea cognoscere? Dicat Fabius rationem differentiae, si potest. Inter arma verò, & inter processum banni judicialem merito distinguitur. Contra armatos, vos Romanenses, armis usi estis, de quorum jure hoc loco non est quaestio; de banni processu quaestio est, quem, vos Bavari, manibus pedibusque conamini defendere, ut eadem opera malè & per vim acquisiti Electoratus Palatini ignominiam & maculam eluatis. Sed exempla veterum Imperatorum, aequitas naturalis, jus commune, constitutiones Imperij, Capitulationes Regum Romanorum, & vota Ratisbonensia duorum Electorum secularium, vos injustitiae arguunt, & ad omnem posteritatem arguent perpetuo.

Porro quod eodem loco ait, Palatinos & reliquos Reformatos sceptro suo subjectum habere Caesarem, & cancellis suis coercere desiderare, in eo insignem illis facit injuriam. Si, formalia Aureae bullae verba usurpantes, dicunt, quod Imperator habeat super causis, pro quibus impetitus fuerit, coram Comite Palatino Rheni, S. R. I. Archidapifero, Electore Principe, respondere, quis hoc ipsis vitio vertere potest? Non solum Reformati, sed etiam Lutherani I. Cui hoc dicunt, & in scriptis suis docent; veluti Buxtorf: ad Auream B. conclus. 77. & 80. Christoph. Besold. lib. 1. Polit. cap. 4. num. 23. & alij complures. Rationes etiam, cur consuetudine usuque antiquo optimè sit introductum, ut Imperatoris Romani competens sit iudex Elector Palatinus, vigore A. Bullae tit. 5. de jure Com. Pal. §. & quamvis, & Weichbild. lib. 1. art. 8. & 9.

& cur etiam Papa ipse, item Imperator, & rex Galliae sibi ipsis non queant esse iudices, perspicue, & eleganter deducuntur à Christ. Besoldo de Appellatorio iuvamine cap. 2. n. 9. Ex quo liquet Fabium more suo Calvinistas immeritò hîc iterum perstringere. Nos autem meliore jure hîc Lectori ob oculos ponimus errores, in quos Auctor Iustitiae Cæsareæ Imperialis (non nemo hunc aliquem ex Cameræ Assessoribus Bavaricis, vel Austriacis, vel Burgundicis esse conjectat, id quod nos tamen in medio relinquimus) in interpretatione verborum A. Bullæ, quæ supra allegavimus, propos. 18. incurrit. Primus error est, quod negat, Palatinum esse iudicem Imperatoris in causis de quibus A. Bulla loquitur. Sed verba formalia ipsi repugnant. Nam ille, coram quo aliquis habet respondere super causis, pro quibus impetitus fuerit, certè iudex est, & iudex rectè vocatur, quia cui convenit definitio, eidem etiam convenit definitum. Secundus error est, quod iudicium, jus, & potestatem veterum Cæsarum Latinorum confundit nu. 1. & 2. cum jurisdictione Cæsarum Romano-Germanicorum, & cum jure Imperij Germanico-Romani, per cujus constitutiones, & per recessus publicorum Comitiorum, præcipue verò per Capitulationes Regum Romanorum, jus & potestatem Imperatorum certis finibus circumscriptum esse, I. Cui moderni docent, & inter alios Christ. Besoldus lib. 1. Pol. cap. 8. §. 2. num. 5. sicuti etiam Legati Saxonici & Brandenburgici in ultimo conventu Ratisbonensi Anno 1623. apertè in suis votis dixerunt, in casibus Capitulationis (inter quos illi declarationem banni contra Palatinum, & translationem Electoratus in Bavarum numerabant) plenitudinem potestatis, sive absolutam potestatem locum non habere. Tertius est, quod verba: Coram Comite Palatino: intelligenda esse contendit

tendit de Comite Palatino, non tanquam iudice, sed tanquam Commissario, ab ipso Imperatore potestatem habente. Sed quis non videt, quam inepta sit hæc interpretatio? Primum quia dicit hoc, quod lex non dicit, quæ de Commissario nullam mentionem facit. Deinde, quia Comes Palatinus iudicandi munus sive iudicis officium habet non ab Imperatore, tanquam ejus Commissarius, sed ab ipsa A. Bulla, & lege, vigore juris etiam ante A. Bullam per diuturnam consuetudinem introducti & observati. Quartus est, quod dicit, Imperatorem respondere posse coram Comite Palatino non tanquam iudice, sed tanquam bono aliquo viro. Verum A. Bulla expresse dicit, Comitem Palatinum iudicium exercere debere, sed tamen non nisi in ipsa Curia Imperiali. Aliud autem est iudicium exercere, & iudicare, aliud arbitrio boni viri litem dirimere: & ille, qui iudicium exercet, sive iudicat, ex natura conjugatorum, est & rectè vocatur iudex. En, Lector, satis manifestos errores illius scriptoris (quod pace ipsius dictum sit) quisquis est: Cui, & Fabio nostro, & alijs ipsorum similibus, accidit illud, quod unus ex Patribus de quibusdam hæreticis dixit: Multa coguntur male interpretari, qui unum nolunt rectè intelligere.

§. Secedamus. vers. Feuda, &c. ait: Feuda, quæ committuntur, læsæ Majestatis crimine in feudi dominum patrato, in Domini manus potestatemque resignantur, ex vulgata Iurisperitorum sententia, Sed verius est, Feudistas hac in re dissentire, & ex benigniori sententia filios non privari feudis ex pacto & providentia, quia munus generis est, non donum patris. Quæ verò non à patre, sed à genere, aut à natura tribuuntur, ea manent filijs incolumia, l. 3. de interd. & releg. Æmilius Chreggene in veltatione de 7. Sacri R. I. Officialibus pag. 4. & seq. Et hi

ex

ex jure proprio non persona Patris veniunt. Zas. de feud. par. 10. n. 96. cum seqq. Id quod multo magis in agnatis locum habere, legati Saxonici & Brandenburgici Ratisbonæ multis rationibus & argumentis demonstrarunt, uti videre est in Resp. ad Can. B. Anh. par. 2. in votis Ratisbonensib. Præterea Jurisperitorum sententia, à Fabio allegata, intelligenda est ita, ut ex mente eorundem Jurisperitorum locum habeat, quando de justitia & validitate sententiæ Banni nulla prorsus controversia est: in nostro autem casu validitas & justitia banni merito in dubium revocatur.

§. Sciebam post, ait, ab Electoribus consilium petatum esse, consensum etiam expectatum fuisse, & præteritos non esse Electores, quippe ad conventum vocatos, sed per ipsos, & per certas, quas adferebant, causas steterit, ne cõirent. Hæc sunt verba Fabij, obscura, & intricata: sed nos sic respondemus, & fallaciam detegimus. Petatum esse consilium super proscriptione Palatini, & consensum Electorum expectatum fuisse, aperte negatum fuit Ratisbonæ à legatis Saxonis, & Brandenburgicis, violatos hac in parte Capitulationis articulos fuisse conquerentibus. Super translatione etiam Electoratus Palatini non fuisse Electores consultos, nec auditos, ipsa propositio Ratisbonensis, & vota eorundem Legatorum, quin etiam Votum legati Saltzburgici, demonstrant, uti ostenditur in Resp. ad Can. B. Anh. par. 2. & in notis nu. 32. Ex quibus locis apparet, punctum translationis, per modum intimationis sive significationis, & non Consilij, Ratisbonæ propositum fuisse. Ergo si neque super publicatione banni, neque super translatione consulti Electores fuerunt, necessario sequitur, subsistere non posse, quæ Fabius supra de consilio ab Electoribus petito, & de consensu eorum expectato,
lecto-

lectori imponens commemorat. Sub finem hujus §. allegat exemplum Caroli V^{ti}, Duces belli Schmalcaldici proscribentis, nullo Electorum senatu coacto. Sed supra dissimilitudo exempli ostensa fuit. Præterea recte legati Brandenburgici Ratisbonæ ad hoc exemplum responderunt, etiamsi concedatur, Carolum, inconsultis planè Electoribus, Saxonem & Lantgravium proscripsisse: (de quo tamen aliquo modo dubitari posse ex quibusdam Sleidani locis colligere licet) tamen per sequentes Capitulationes, & imprimis per ultimam, illud in futurum expresse prohibitum fuisse, uti videre est in Resp. ad Can. B. Anh. p. 2. in votis Ratisbonensibus. Et recte sane: quia alioquin sequeretur, Articulum 25. Capitulationis esse inanem, superfluum, & nihil operari, cum tamen in omni lege & dispositione ita verba interpretari oporteat, ne sint nugatoria, vel superflua, sed ut aliquid operentur, l. si quando, D. de leg. 1.

§. Frustra laboras &c. uti etiam infra circa considerationem 13. §. Plane ita est. Loquitur de protocollo quodam, quod mala fide Heidelbergense vocat, de quo veram narrationem supra in præfatione lector inveniet. Inapte porro ludit in detorquendis verbis Caraffæ, Nuntij Pontificij, qui Viennæ commoratur. Verba formalia, ut loquuntur, de Saxonæ Electore ita habent: *Che non è Principe di spirito, ne di forze tali, che deva gran fatto temersi di lui.* Vtrum hæc verba commendationem, an vero contemptum redoleant, de eo judicium sit penes Consiliarios & aulicos Dresdenses, quorum plurimi Linguæ Italicæ sunt gnari. Igitur frustra Fabius ipse revera laborat, quod ille de Camerario dicit.

§. Vestra audacia &c. ait plurium sententiæ delatum (Ratisbonæ nimirum) fuisse; sed hoc ipsum improbatum

F

fuit

fuit à legatis Saxonis & Brandenburgicis, ideo quod pluralitas votorum contra expressam dispositionem Capitulationis non habet locum. Vide Resp. ad Can. B. A. par. 2. in votis Ratisbonensibus, & Epistolam Electoris Saxonie ad Moguntinum ibidem. Subjicit: Vosne Cæsarem compelletis, ut septemviro huic aut illi pareat? Respondetur: Nemo dicit hoc: sed omnes Electores ex formula Capitulationis consulendos fuisse, hoc dicitur.

Circa considerationem. VII.

§. Quia Cæsar, ait omnia studia Calvinistarum ad fundamenta Imperij convellenda collimasse. Hæc calumnia refutatur passim in Resp. ad Can. B. A. præcipue vero par. 1. cap. 13. pag. 109. & seq.

§. Ne hebes: ait: Nunquam discriminabunt Archiducem à Cæsare. Imo facile, & plane eadem ratione, qua in Comitibus Imperij ducem Burgundie à rege Hispanie, in Comitibus item, & in Circulo inferioris Saxonie Ducem Holsatie à Rege Danie discriminamus, uti videre est apud Gailium de Arrestis cap. 6. & Besoldum de appellatorio juvamine cap. 4. §. 6. pag. 118. Item eadem ratione, qua Elector Saxonie in circulo Franconie non ut Elector, sed ut possessor bonorum Hennebergensium, item qua Moguntinus in superiori Circulo Rheni ut possessor Comitatus Konigssteinensis consideratur. Hanc distinctionem facile caperet Fabius, si Gailium & Besoldum dictis locis, & in Topicis Everhardi locum celeberrimum à tanquam legisset. Sed ponamus, Bohemiam esse Cæsaris, aut pertinere ad Cæsarem; nemo tamen sanus negabit, illam pertinere ad Cæsarem, non quatenus, aut quia Cæsar est (alioquin enim ad omnes Cæsares præteritos pertinisset, aut
ad

ad omnes futuros necessario pertineret, quod est absurdum) sed quatenus Archidux Austriae est. Nam si aliquis ex alia familia Imperator forte eligeretur, ex ipsorum Austriacorum sententia talis Imperator nihil juris in Bohemiam habiturus esset. Vnde lector facile videt Archiducem à Cæsare recte distingui, quod Fabius negat.

§. Et quid si ab Infante &c. ait: Vos Calvinistæ invocastis Turcas, expectastis Tartaros. Primum negatur, Turcorum & Tartarorum auxilium imploratum fuisse per legatos Constantinopolim missos; qua de re videri potest Resp. ad Can. B. Anh. par. 1. cap. 8. & ult. Deinde malam fidem Fabij ex eo lector facile deprehendet, quod hanc legationem Calvinistis tribuit, cum tamen constet, in Bohemia, Moravia, Silesia, Lusatia, Austria, rerum summam & arbitrium non penes paucos Reformatos, sed penes Lutheranos esse, & illos ab his numero ac viribus longissimo intervallo superari.

Circa considerationem VIII.

§. In hoc scopo; juris naturæ, ait, est sua defendere, & fas est Austriacis servare se etiam vi, cum vi impugnantur. &c. Nemo negat defensionem esse juris naturalis. Non fugit etiam nos esse quædam (ut Livius ait dec. 3. lib. 1.) belli jura, quæ ut facere, ita pati jus sit. Sata exuri, dirui tecta, prædas hominum pecorumque agi, misera magis, quam indigna patienti esse &c. Non igitur a deo querimus nos à vobis hostilia passos: Marti communi, & ancipiti, uti ab Hannibale apud eundem Livium vocatur, hoc ascribendum est: sed Palatini proscriptionem, & juris Electoralis in Bavarum translationem, sub prætextu justitiæ à vobis Bavaris per publica scripta defendi, & tanquam heroï-

cam aliquam actionem magnifice extolli, & prædicari, de hoc conquerendi justissimam causam habemus, & utramque contra leges & jura Imperij factam esse, publice asseveramus, & in testimonium vota legatorum Saxonico- rum, & Brandenburgicorum, supra aliquoties allegata adhibemus.

§. Rursus ait: Heidelberga multos annos seditionis officina fuit. Sed officinam publicæ libertatis fuisse, verius est.

Circa considerationem IX.

Quæ §. Si tam fatuus: vers. quo usque: de divisio Episcopatus ponit, ad ea respondetur in Resp. ad Can. B. Anh. par. 2. cap. 5.

§. Quarto interrogas: sub finem allegat male Fabius legem, qua status Imperij alienos subditos in protectione recipere vetantur. Est enim magna differentia inter subditos alicujus status Imperij, & inter Ordines regni Bohemix, qui & eligendi regis jus ex A. Bulla habent, & legibus ac jurisdictioni Imperij nullo modo subiecti sunt; Resp. ad Cancel. B. Anh. par. 2. in obs. nu. 28. pag. 326. Bohemi enim ita in fidem & amicitiam à Germanis Cæsarib. recepti sunt, ut præter honorem, quem Cæsareæ Majestati debent, cætera immunes & liberi essent, ut scribit Dubravius Hist. Bohemicæ lib. 18. Besold. de Appel. juvamine cap. 4. §. 5. pag. 116. Et subditos, qui in Regis aut Principis alicujus potestatem certis fœderibus, & legibus ac privilegijs suis sibi reservatis, venerunt, si privilegia violentur, se alterius Principis protectioni & fidei permittere posse, multis exemplis probatur; Thuanus Hist. sui temp. lib. 41. Besold. de Appel. juva. cap. 2. pag.

pag. 67. & 68. Videatur etiam Resp. an Cancel. Anh. par. 2. cap. 7.

§. Respira. vers. sub Maximiliano: ait litem Palatinis majorem cum Maximiliano I. quam cum Bavaris fuisse. Sed nemo dixerit vel Maximiliano ullam litem de re privata cum Palatinis, vel illum in propria causa judicem fuisse. Deinde Maximilianus diu multumque in componendis diffidijs inter Palatinos & Bavaros laboraverat, Palatinis etiam satis æquas conditiones obtulerat; quibus rejectis, tandem, re bene deliberata, conscijs Ordinib. Imperij, ad solennem banni declarationem devenit. Alia est in nostro casu ratio; quia Cæsar in causa Bohemica, quæ ipsius propria, & privata est, judex fuit. & quamvis in illa causa non Cæsaris, sed Archiducis personam repræsenteret, tamen bannum Imperij contra Palatinum, & quidem Electoribus inconsultis, & inauditis, publicavit; id quod juri & æquitati naturali parum consentaneum esse, nemo non videt.

Eod. §. Fridericum secundum Palatinum nominat rebellem. Verum rei totius veram narrationem lector inveniet apud Hubertum Thomam Annalium lib. 13. pag. 265. & seqq.

§. De officijs vestris: sublesta fide solis Reformatis, si-ve Palatinis imputat, quæ omnium Principum Unitorum Lutheranorum nomine, & quidem in rebus Donavverdam, civitatem Lutheranam, & omnes in universum Lutheranos concernentibus, Cæsari Rudolpho proposita fuerunt, & quorum per consequens non solis Heidelbergensibus, sed majori Unitorum parti ratio reddenda venit. Hanc tamen litem solis Reformatis movere Fabio libuit.

§. Res ista: allegat ex quodam scriptore, Palatino

E 3.

Prin-

Principi altius Cæsareo tribunal erigendum esse etiam in ipsius Imperatoris caput. Sed candidus lector facile ex contextu ipso, & ex verbis illius scriptoris, quisquis est, perspiciet, loqui illum de eo casu, quando aliquis ex Ordinibus Imperij à Cæsare gravatur, & inquirere in rationes medendi publicis Protestantium gravaminibus, & oneribus, quæ indies ab Aula Imperatoria accumulari, & post tot tamque graves admonitiones nihil imminui, conqueritur. An verum dixerit, & an talia scribendo, atrox crimen contra Imperium & Cæsarem commiserit (uti Fabius astruere velle videtur) penes omnes Imperij Evangelicos iudicium esto. Quod vero usitata animi impotentia Palatinum Cæsaris Imperatorem, & summorum iudicum Æacum &c. Fabius invidiose indigitat, & similia ab eo, splendida dictante bile, effusa, nullo responso dignamur. Lectorem enim meminisse non dubitamus eorum, quæ supra circa conf. 6. de vero intellectu A. Bullæ, Comiti Palatino in causis, pro quibus Cæsar impetitus fuerit, iudicium exercendi facultatem & officium attribuentis, à nobis exposita fuerunt. Quid si autem nos diceremus, Fabium (qui Camerarium eodem loco nugatorem vocat) difficiles habere nugas, & stultum laborem esse ipsius ineptiarum, dum ait: Carolus IV. in aurea sua bulla nullam legem recenset, sed ait, ex consuetudine introductum dici: ita nec morem, nec consuetudinem huius potestatis Carolus novit. Itane? Equidem ex verbis A. Bullæ apparet, tempore promulgationis ejusdem jam hoc juris in Imperio, & apud Carolum Quartum, & Status Imperij in confesso fuisse, quod Imperator coram Comite Palatino respondere haberet, id est, teneretur. Hoc ex consuetudine introductum dici dum inquit Carolus, non dubitat de jure Comitis Palatini, utpote consuetudine etiam ante tempora

tempora

tempora A. Bullæ corroborato. Nam cum consuetudo legis vim obtineat, perinde erat, ac si potestas hæc Comiti Palatino per expressam sanctionem attributa fuisset. Porro hanc consuetudinem, quæ per se jus facit, Carolus etiam expresse in A. Bulla approbat, & confirmat, hac tamen lege, ne iudicium à Comite Palatino alibi, quam in curia Imperiali, exerceatur. Hæc approbatio & confirmatio convincit erroris illos, qui nullam sanctionem super jure Comitis Palatini inveniri sibi imaginantur. Nam ipsa approbatio & confirmatio Caroli Quarti expressæ sanctionis vicem & locum obtinet. Porro Carolus Quartus, Auream Bullam composuit, post diligentem inspectionem, & considerationem antiqui juris Germanici, & constitutionum, sanctionum, ac institutorum Imperij, post diligentem item indagacionem & inquisitionem veteris consuetudinis; Besoldus lib. 1. dissertationum Nomicopoliticarum dissert. 14. nu. 3. ita ut Fabius parum apposite hoc in loco dicere videatur, Carolum nec morem nec consuetudinem huius potestatis novisse. Nam si ipsi aliquid dubitationis, & scrupuli, post diligentem inquisitionem, remansisset, verisimile est, illum hunc titulum de jure Comitis Palatini legi suæ, perpetuo, ut ipse loquitur, valituræ, inserturum non fuisse.

§. Bohemicum, &c. ait Bohemicum negotium adversus Imperij Majestatem & leges susceptum esse: sed quam verè, inveniet Lector in Resp. ad Can. Bavar. Anh. par. 2. in notis ad vota Ratisb. n. 9.

Circa considerationem X.

§. Rectè: Fabius de utero rupto, de infelici partu, de intumescantibus visceribus insulse quædam blaterat, ita,
ut

ut inde colligere promptum sit, bonum hunc virum aut nescire planè, aut non intelligere titulum Codicis: Plus valere, quod agitur, quam quod simulate concipitur, ex quo Domini Camerarij verba desumpta sunt.

§. Ad quod tempus: ait sub finem: Vestra culpa est, quod arma ceperitis, atque etiam extra Bohemiam produxeritis. Respondetur: Arma non Palatinus cepit, sed Austriaci, qui Duce Comite Bucoio priores Bohemiam aggressi sunt. Fuisse deinde arma extra Bohemiam prolata, verum est, sed à Bohemis, Bucoium tanquam primum aggressorem persequentibus etiam ante, quam Palatinus in Bohemia pedem poneret.

§. Nostra arma: ait Palatinum post victoriam Pragensem nova auxilia conquisivisse. Sed dicere debebat: Post victoriam Pragensem, & publicatam banni sententiam: ex qua facile colligere erat, vos regni Bohemiæ recuperatione non esse contentos, sed vobis decretum esse illum etiam avito patrimonio exuere. Quod addit, Palatinum Durlachianis & Halberstadiensibus armis fidentem, respondisse non esse tempus subjectionis aut submissionis, de eo videri potest Resp. ad Can. Bavar. Anh. §. 2. in notis ad vota Ratisbonensia n. 26.

§. Confilia: vers. Quid causæ: conatur divinare causam, cur Angliæ Rex viam Palatino in Angliam non aperuerit. Lepidus est Fabius, dum laborat in divinanda causa rei, quæ in rerum natura non est, nec fuit. Nunquam enim Palatino aditus in Angliam præclusus fuit. Negatur, & probatio Fabio incumbit. Porrò jam non poterit non pudere Fabium eorum, quæ de certa matrimonij Hispanici fama, quasi illa Palatinum sauciatum aut desperare, aut fanda infanda tentare juberet, subjungit. Conjecturam enim hominem fefellisse, jam experientia testatur.

Addit:

Addit: Palatinus certè in lucro ponere potest se vel nudum extra Imperij fines vivere: Quid enim arbitraris Cæsarem in eum decreturum, si incautum deprehendat? &c. Non obscure innuit Fabius capitale supplicium imminere Palatino, si in Cæsaris manus incidat. Magnum sane argumentum ad persuadendum Palatinum, ut Viennam, ad pedes Cæsaris se projecturus, properet. Quibus clausulis & formulis salvi conductus induci poterit post has minas Palatinus, ut se & vitam suam fragilitati hujusmodi cautionum committat? Num Fabius ex mente Principis sui & consiliariorum ipsius loquatur, nobis non liquet: prudentiores certè in aula Imperiali, Bruxellensi, & Hispanica minimè hominis futilem hanc dicacitatem probaturos esse arbitramur. Sanè reges, (quibus Electores æquiparantur) in bello etiam injusto captos, occidendos non esse, multorum opinio est, Besold. lib. 1. Polit. cap. 11. num. 29. & lib. 2. cap. 7. n. 36.

§. Mitius. Vers. Vos quo ivistis, & seqq. loquitur de porta Constantinopolitana, & de Principe Transylvaniæ. Sed ad hæc prolixè respondetur in Resp. ad Can. Bavar. Anh. par. 1. cap. 8. & ultimo: & par. 2. cap. 8.

Circa considerationem XI.

§. Illusos: ait Calvinistas Turcam, missis oratoribus, in capita ac fortunas Pontificiorum sollicitasse; sed negatur in Resp. ad Can. Bav. Anh. cap. 8. & ult.

Circa considerationem XII. & XIII.

§. Legatione: ait in superiore Palatinatu speciem aliquam Lutheranismi superesse, sed ministros in verba Cal-

G

vini

vini jurare. Sanè hoc veritati consentaneum non esse, totus superior Palatinatus testari potest.

§. Et Bavarus: ait Bavarum prætere jus ad Electo-
ratum: jus nimirum ab inferis revocatum. Nam Electo-
ratum Carolus Quartus, & omnes ordines Imperij per Au-
ream bullam adjudicarunt Comitibus Palatinis, qui etiam
in continua illius possessione per spatium ducentorum &
68. annorum fuerunt. Hanc auream bullam, Cæsarem, &
omnes Imperij ordines Fabius injustitiæ publicè accusare
non veretur.

§. Ab hoc: ait agnatos repelli ob Palatini in Cæsarem,
feudi dominum, facinus, & ita leges sancire: sed negatum
hoc apertè fuit Ratisbonæ in votis Saxonis & Branden-
burgicis: vide Resp. ad Can. B. Anh. parte 2 in votis Ra-
tisbonensibus.

Circa considerationem XIV.

§. Elector: ait: in Hungaria vix tot Lutherani nomi-
nantur, quot Thebis portæ. Si non ludit, sed serio agit Fa-
bius, necesse est illum rerum Hungaricarum non nimis pe-
ritum esse. Nos totius Hungariæ superioris incolas (ex-
ceptis Heiduccis liberis, qui reformati sunt) à finibus Mo-
raviae usque ad Tibiscum maxima ex parte Lutheranos
esse dicimus, & ad testimonium eorum, qui hunc tractum
perlustrarunt, provocamus. Slabacci, qui à finibus Mora-
viae ad penitiorem Ungariam pertinent, septem civitates
montanæ, ex Germanis civibus totæ constantes, omnes
incolæ Comitatus Copusienfis, Comites Turfones, & alij
magnates Hungari, Lutherani sunt: eorumque pastores
& ludimagistri omnes Wittembergæ, Ienæ, Lipsiæ, & alijs
in scho-

in scholis & Academijs Lutheranis, studio Theologico operam dare solent. Eadem est ratio in Bohemia, & Moravia, ubi incolæ majori ex parte Hussitæ, aut Lutherani sunt.

§. Hic opus est: Vers. Quid vobis: Concinnam sanè comparationem Fabius instituit Senatus Heidelbergensis cum Ordinibus regni Bohemiæ & incorporatarum Provinciarum. Calor disputationis hominem abripit, & impedit ira animum ejus, ne possit cernere verum. Jus regni controversum erat, & Ordines non solum ex aurea bulla jus eligendi regis, sed etiam sedis vacantiam prætendebant. Quis igitur magnopere miretur illos eo rerum statu existimasse jus legationis sibi competere? Quis etiam Palatino, Electori Imperij, & regi electo, jus legatos mittendi, in re dubia, & controversa præsertim, derogare aufit? Quæ deinceps Fabius usque ad finem paragraphi in invidiam legationis Constantinopolitanæ effudit, ea omnia dilucide refutantur in Resp. ad Can. Bav. Anh. par. 1.

§. Qui probas: Edictum quoddam allegat Fabius, à Palatino 28. Septemb. An. 1620, ut ipse fingit, editum; Cupit nempe Fabius Electorem Saxoniam contra Palatinum instigare. Sed Lectorem nolumus ignorare, Palatinum hac de re prolixè & diligenter jam pridem ad Saxonem scripsisse, & se excusasse. Nam de litteris dehortatorijs (quas Fabius superbum edictum vocat, & quas Lector in actis publicis Lundorpij cap. 211. sive ultimo reperiet) non in Palatini Consilio secreto unquam, sed in Senatu Procerum & Officialium Coronæ Bohemiæ deliberatum fuisse (idque rege inconsulto) omnes, qui ex iisdem superstites sunt, fateantur necesse est; cumque postea in castris eadem litteræ, sive idem mandatum Palatino ad subscribendum porrigeretur, non tantum subscribere recusavit,

sed etiam sibi tenorem illius non placere apertè dixit. Quamvis etiam fortassis quædam exemplaria ab hominibus imprudentibus & præfervidis evulgata fuerint, tamen illa à Palatino subscripta fuisse negatur, & restat, ut Fabius exemplar subscriptum producat.

Circa considerationem XV.

§. Scis quo odio: ait: Proscriptio promulgata est in Palatinum sincera justitia. &c. Hac de re videri poterunt notæ ad vota Ratisbonensia in Resp. ad Can. Bavar. Anhal. par. 2.

§. Lubet: dicit Calvinianos à Calvino vocari, sicut Aristotelici ab Aristotele, & Platonici à Platone vocantur: Sed Reformati non jurant in verba Calvinii, nec Calvinum pro capite Ecclesiæ habent. Debebant igitur à vobis Ligistis Christiani, ut sunt, non autem odiose Calviniani appellari. Vos Romanenses in verba Papæ juratis, & Pontificem pro Capite Ecclesiæ Vestræ habetis. Cur ergo tam ægre fertis, vos Papistas, aut Pontificios vocari, & Evangelicis superciliose necessitatem vos Catholicos appellandi imponere vultis? Aut sectatores igitur Papæ non estis, aut Fabij argumentum claudicat, aut vos Capitis vestri pudet.

Verf. Quam ægre: agit de æquivocationibus, & adducit elegans exemplum, per quod præsupponit Caupones Germaniæ vulgo Latinè scire.

Verf. Sed de via, &c. venit ad regicidia: & verf. Europa, &c. asserere non veretur, neque consilio, neque manu Iesuitica tantum nefas patratum. Quod ad manum attinet, sive per homines subornatos, & miris præstigijs ac persuasionibus fascinosos, sive ipsi talia scelera patnaverint,
non

non multum refert, quia, secundum juris regulam, quod quis per alium facit, ipse facere videtur. Quod verò etiam Iesuitico consilio nihil tale unquam admissum fuisse asseverare audeat, duo duorum Regum Galliae exempla, & tot contra Elisabetham, Angliae Reginam, Iesuitis conscijs, in ita conspirationes, denique toti Europae notissima pulveraria illa proditio, & conjuratio, & Garneti Iesuitae aliorumque in Anglia spectata publice supplicia, vanitatis & impudentiae Fabium nostrum apertissime convincunt. Addit Fabius eadem fide, qua priora; Calvinistas cotidianos cultros in Mauritium acuere. Tota enim Hollandia testatur, Arminianos esse, qui talia machinantur, quippe Pelagianos, & semi-Iesuitas.

§. Impudentiorem &c. denuo debacchatur in Calvinistas, tanquam cruentorum consiliorum authores. Sed haec & similia passim refutantur in Resp. ad Can. B. Anh. Quae de codice Bibliorum iterum aspergit, meram calumniam esse, supra circa Confid. I. demonstratum fuit.

§. Manum; ait, Iesuitis multum operae esse, ut calamo portentosa Calvinistarum dogmata depingant. &c. Immo scimus, multum illis operae esse, ut vetusta sanctorum Patrum Opera, quotquot in ipsorum manus incidunt, nefarie castrent, adulterent, & ad sua verè portentosa dogmata Iesuitica accommodent. In his testatur experientia occupatos esse Iesuitas. Cur autem non respondent varijs tractatibus, & scriptis Parei, & praecipue confutationem Bellarmini, Iesuitarum Antesignani, continentibus? Cur non refutant librum ante complures annos in Anglia de Turco-Papismo editum? Cur Pater Arnoufius Gallus non respondet libro Molinaei, cui titulus est Scutum fidei, item parvo, sed eruditissimo ejusdem libello, qui inscribitur: Effugia & evasiones Patris Arnoufij; item libro ejusdem Mo-

linæi de Vocatione ministrorum? Ad hæc omnia nihil, quod sciamus, respondent Iesuitæ, cum tamen exitiales Christianæ religioni fraudes Iesuiticas in supra dictis libris & scriptis stylo (ut Fabij verbis utamur) apertas fuisse, manifestum sit. Quod verò sub finem addit, de armis, de bello, de cædibus, de reorum supplicijs illos planè non laborare, hoc verè paradoxum est. De armis, de bello non tractant Iesuitæ? Quid igitur fecerunt in tota illa Tragœdia Moscovitica supposititij Demetrii? Quid faciunt etiam num hodie Iesuitæ regis Poloniae in subditis regis Sueciæ ad seditionem movendam incitandis? Quid vester Adamus Contzen? Nónne lib. 10. Politicorum de bello, & de armis, & de omnibus, quæ ad cognitionem rei militaris pertinent, prolixè, & ex professo agit? theoriam nimirum tradens eorum, quæ mox à Iesuitis, qui omnium ferè Regum & Principum Catholicorum arcanis consilijs intersunt, ad usum transferri possint. De reorum etiam supplicijs Iesuitæ non laborant? quasi Germania nesciret, Patrem Sabinum post prælium Pragense Viennæ, themate ex Psal. 2. desumpto, concionatum esse, Iesuitas etiam suo suffragio hoc approbasse, litteras Majestatis Bohemis adimendas, & dilacerandas, & Proceres, tanquam vas figuli, confringendos, sive summa papaverum capita, ut Tarquinius apud Livium filio suo suadebat, demetenda esse; uti etiam horum patrum & sacerdotum sententia paulò post executioni mandata fuit.

Circa considerationem XVI.

§. *Causas:* ait: Quòd Spinolam, Palatinatum inferiorem cum exercitu aggredientem, consilio & ope juvit Moguntinus, respectu Cæsaris fecit. Fatetur ergo Fabius, Mogunti-

guntinum aliquo respectu transactionem Vlmensem violasse. At nullo plane debebat, nulloque pretextu, quicumque tandem excogitari posset. Neque enim bona fides & expressa ejusdem transactionis verba id patiuntur.

Circa considerationem XVII.

§. Alimenta: negat se credere, Cæsarem Max. 2. voluisse impetrare pacem populis Belgij afflictis. Non affligebantur autem soli Hollandi, quos Fabius tanto odio prosequitur, sed etiam, & magis quidem, reliqui Belgæ: Et probabile est, optimum illum & prudentissimum principem Belgas pro injuste afflictis habuisse, cum constet, illum persecutiones religionis ergo semper improbasse, ut ex ipsius Epistola ad Lazarum Schyvendum liquet, & easdem persecutiones Henrico 3, ex Polonia per Austriam in Galliam redeunti (ut Thuanus in historia sua testatur) dissuasisse.

§. Nunquam: vers. Quanquam &c. ait Calvinistas, rerum eventu anxios, suasisse per legatos pacem, non amore pacis, sed ne Belgæ, ipsorum tribules, opprimerentur Hispani potentia. &c. Paucis Fabius ostendere voluit, se esse rerum Imperij, & Belgij, & publicarum actionum imperitum. Putat ille, legationes, in Belgium pacis causa missas, ab Electore Palatino & alijs Reformatis in gratiam Unitarum Provinciarum fuisse promotas: sed tota errat via. Nam in ijs obtinendis Hispanos clanculum apud Imperatorem Rudolphum & Electores Ecclesiasticos sumopere laborasse, apud omnes Ordines Imperij, & eorum consiliarios, Protestantes in primis, in confesso est. Afferit etiam, Reformatos pacem suasisse, ne Belgæ opprimerentur potentia Hispani. Sed nec Elector Palatinus pacem
urfit,

urfit (ut Fabius somniat) sed potiùs ab Hispanis accusabatur apud eundem Imperatorem, quod pacem impediret, nec Hollandi & socij vel solam pacis mentionem, uti sibi periculosissimam, ferre poterant: tantùm abest, ut potentiaë Hispanicæ metu pacem optarent, ut Fabius ex suo cerebro asserere non dubitat. Hæc, quæ diximus, ita se habere, ex responso Ordinum Hollandiæ, tum Comiti de Lippe, & Baroni de Rheidt, tum alijs legatis Cæsareis diversis vicibus dato, liquido apparet, & apud Meteranum in historia Belgica, & apud Thuanum legi potest. Sub finem perstringit Hollandos propter fœdus Turcicum, quod non est in rerum natura. Iura commerciorum & pacis colunt cum Sultano, uti & Veneti, Ragusæi, & alij. Cur autem non taxat regem Galliæ, cui scit longe arctiora pacta cum Turcis intercedere?

§. Sibyllam: ait: Communis libertas potiùs per vos, quàm per Hispanos interibit. &c. Quis unquam, Fabio solo excepto, dicere ausus fuit, communi libertati periculum imminere à Palatino & Unitis, quos ille omnes Calvinistas facit? & quidem majus, quàm ab Hispanis? Etiam hoc inter Paradoxa Fabij referri potest.

Circa considerationem XVIII.

§. Falsum: ait: Civilitatis ergò, & ut majore cum gratia Principum omnia faceret, causæ tantæ molem Comitij Cæsar destinabat, sed quia multi Ratisponæ non comparuere, cum præsentibus fecit, quod solus poterat: hætenus Fabius noster. Verùm quod ille civilitatis ergo factum esse dicit, id legati Saxonici & Brandenburgici necessitatis esse dixerunt: quod ille Cæsarem solum potuisse ait, hoc Cæsarem, non nisi Electoribus consultis, potuisse,
ijdem

ijdem legati constanter Ratisbonæ, & iterato affirmaverunt. Si Fabius neget, vota Ratisbonensia illum convincent; nos litem hanc nostram facere necesse non est: cum dictis legatis Fabio decertandum est. Præterea ipsi etiam Electores Ecclesiastici longe majori cum circumspectione, quam Fabius, de spinosa hac quæstione Ratisbonæ locuti sunt. Nunquam enim ita crude, & superciliose, ut iste, dixerunt, Cæsarem solum hoc posse; sed, Cæsarem indixisse conventum, & voluisse cum Electoribus conferre, sed motus bellicos ipsi impedimento fuisse, nec illum unquam animum Capitulationi suæ contraveniendi habuisse. Vnde colligi potest, ex mente & sententia eorundem Ecclesiasticorum Cæsarem solum hoc non potuisse: id quod tamen à Fabio hic confidenter asseveratur.

§. Nihil tentatum: ait: Alia est proscription, quæ fit in pace, alia, quæ fit in bello. Sed hæc distinctio non invenitur in Capitulatione, & quod lex non dicit, nec nos dicere debemus. Imo ex articulo 25, qui de proscriptione agit, apparet, proscriptionem non nisi juris ordine observato etiam in bello fieri debere, quia læsæ parti reservatur legitima defensio, quæ læsio & defensio non nisi de armata læsione & defensione, & per consequens de motibus bellicis intelligi potest.

Circa considerationem XIX.

§. Quamvis: vers. nondum: ait: Si princeps tuus paratus fuit accipere quascunque conditiones, quid ita id non significavit Cæsari? Respondetur: Nomine Palatini æquissimas, & Cæsari ac Domui Austriacæ utiles conditiones obtulit magnæ Britanniaæ Rex, uti legi potest in

H

Resp.

Resp. ad Cancel. Bavar. Anhal. par. 2. in notis ad vota
Ratisb. n. 25.

§. Simulatum: ait: Daniae rex per legatos apud Cæsarem precibus institit, ut clementiâ finiret, quod justitiâ inchoasset: sed dissimulat, eundem regem etiam per quendam legatum Cæsari non obscure significasse, sibi proscriptionem Palatini, juri & regiæ Capitulationi parum consentaneam videri. Verba: quod justitiâ inchoasset: sunt glossa Fabij, & in textu Danicæ propositionis, quam nos habemus, non inveniuntur.

§. Ire me jubes: Fabius negat Concilium Constantiense definivisse: Fidem, hæreticis datam, servandam non esse; cum tamen Sessione 19. ita statutum fuerit: Quocunque salvo conductu, per Imperatorem, vel per principes seculi, hæreticis, vel de hæresi diffamatis, concessio, non obstante, posse Ecclesiasticum judicem contra hæreticos procedere: & Politicum judicem, qui salvum conductum dedit, eo non teneri, si fecit, quod in se fuit. Quid hoc est in effectu, nisi salvi conductus fidem, hæreticis datam, neque ab Ecclesiasticis, neque à Politicis servandam esse? En Canonem, en definitionem, quam Fabius negabat; sanè hoc non est ad marginem tantum allinere, ut ille inquit, sed non probat. Quam verò vafre Iesuitæ clausulas vel distinctiones elusorias responsionibus suis attestant, quando ex ipsis quæritur, an pactum, super pace religionis à Pontificijs cum Protestantibus initum, servandum sit, docet perspicue & solide Pareus in Oratione Inaugurali de fide hæreticis servanda, impressa Heidelbergæ A. 1618. ubi Becani & aliorum Sophistarum in Papatu fallacias & æquivocationes detegit & diluit. Hunc legat & refutet Fabius cum suis Iesuitis, si potest. Quod verò Fabius addit Sigismundum Cæsarem fidem Husso datam

datam servasse, planè fidei historiæ repugnat. Nam erat in ipsius manu Hussum servare, si voluisset. Quis enim, ipso invito, & vetante, rogo imponere, & comburere Hussum ausus fuisset? Sed Sigismundus in eo graviter peccavit, quòd se ministrum sævitix Pontificum & Sacerdotum præbuit, quando homines innocentes velut in manus hostibus immanissimis tradidit; Peucerus lib. 5. Chron. de Synodis Constantiensi & Basiliensi.

§. Ligistæ: Ligistæ, ait, nullum Electorem de statu suo dejecere, sed hominem proscriptum, & publicæ paci noxium. &c. Planè eodem modo solent negare Iesuitæ, se in libris suis docere, quòd subditis liceat occidere, aut de solio deturbare reges suos. Nam reges hærericos, & à Papa excommunicatos non esse reges aiunt, sed tyrannos, & ut tales licite occidi, aut regno ejici. Ita æquivocationibus ludunt.

§. Dicésne porrò &c. Quidquid Fabius dicat de Cancellario Monachiensi, constat, mentem paciscentium Vlmæ fuisse, & verba pacti expresse hoc velle, ne Palatinatus à Bavarix duce, vel ab alijs ipsius nomine, qua ratione & præensione id fieri vel excogitari queat, quibuscunque præparationibus bellicis invadatur, & sub his verbis (qua ratione, & præensione id excogitari queat) etiam proscriptionem, de qua sæpè inter paciscentes mentio facta fuerat, intellectam fuisse, omnes Uniti uno ore interrogati respondebunt. Cancellarius etiam his verbis usus est, se sperare non deventum iri ad bannum, & superesse adhuc alia media ad pacem perveniendi: Cancellarium etiam non fugiebat, mentem Unitorum paciscentium hanc esse, ut sub verbis supra positis etiam proscriptio intelligeretur, & excluderetur, uti apud omnes Unitos in confesso est.

H 2

§. Dices

§. Dices adhuc; & aliquot seqq. Fabius prolixè debacchatur in Palatinum, criminans, quod adhuc amicitiam & litterarum commercium cum Principe Transylvaniæ colit. Sed quæ est hæc vestra, Bavari, animi impotentia? Passim Palatino insultatis, vivere aliena quadra, ne palmam quidem ditionum suarum retinuisse, eo redactum, ut nocere amplius non possit, & innumera talia, dicitis; in summa, jacenti & prostrato mordacissimis sarcasmis insultatis: erigere verò se audentem, & conantem, auxilia etiam manum ipsi adiutricem porrigentium non respicientem, convitijs inhumanissime proscinditis. Supercilia nimis alta, & tumentes spiritus supra Fabius Calvinistis attribuit: sed Bavaros jam inde à triennio sibi tantos spiritus sumpsisse, ut vix ferendi videantur, res ipsa loquitur. Scimus, multis gravibus & moderatis viris etiam in ipsa Italia, nec hunc fastum, nec picturas vestras famosas, & pasquillos probari, ipsumque etiam Urbanum 8, Pontificem Romanum, moderatiorem, & æquiorem se hac in re, quam Ligistas, gerere. Vere proximo superiori famosa quædam pictura, quæ Palatinum coronatum, Bavarum pugni ictu Coronam ipsi ex capite dejicientem, & complures Principes circumstantes, ac singulos officij aliquid Palatino præstantes, ac Venetos metatorum munere fungentes, representabat, publice Romæ vendita fuit. Venetæ Reip. legatus, hac de re edoctus, cum hunc contemptum sibi non ferendum esse judicaret, & de hac injuria apud Pontificem conquereretur: Pontifex, rei indignitate, & publicæ honestatis amore ductus, venditorem parum abfuit quin ad remum condemnaret: certè bona ejus omnia fisco addici jussit. Equidem misero venditori, quia Bavarorum & Ligistarum culpa hanc bonorum suorum jacturam

ram

ram fecit, ex communi Ligæ ærario, aut ex fisco Monachienſi, indemnitate præſtari æquum eſt.

§. Dicesne adhuc: verſ. primum eſt: dicit, novum crimen à Palatino admitti, palam accerſendo hoſtem in caput Domini ſui, &c. Sed nihil novi tentat Palatinus; manet in prioribus terminis deſenſionis, prout occaſiones ſeſe offerunt: quia vos etiam in perſequendo illo pergitis. Vos Palatinatum inferiorem, inter Moguntinum, Landtgravium Darmſtadienſem, Episcopum Spirenſem, Leopoldum Auſtriacum, & alios, dividitis: ſuperiorem totum Bavarus ſibi mancipavit: matrem Palatini, ſororem, fratrem (cui ſupra Fabius fabula ſua de Episcopatu Uraſiſſi maculam aſpergere conatus eſt) alimentis, barbara inhumanitate, deſtituitis; & criminamini Palatinum auxilia à Principe amico & confœderato expectare? Si Cæſar aut Liga Palatinatum jure belli tenet, ut Vice-Cancellarius Imperialis Ratiſbonæ ante annum dixit, ſequitur, eodem jure licere Palatino illum, ſi poſſit, recuperare. Et quod ad civilem iſtum reſpectum attinet, & ad reverentiam, quam Fabius Superioribus hac in parte deberi exiſtimat, illa jam pridem per tonitrua bombardarum, & per hoſtilem occupationem, & crudeliſſimam expilationem Palatinatus, ſublata in fumum abiit; & ut Palatino ſint conſules illi, quibus ipſe amplius ſenator non eſt, nullo jure, durante hoc armorum ſtrepitu, peti poſſe videtur.

§. Sed haud quaquam: à principe Tranſylvaniæ venit ad Sultanum Conſtantinopolitanum, & cum illo de auxilijs Palatinum per Comitem de Turre egiſſe, aſtruere conatur. Fruſtra. Nam veriſſimum eſt, Comitem Turnum nullas à Palatino litteras, nullam Commiſſionem habuiſſe. Ponamus autem (quod tamen non concedimus) Palatinum, à vobis dignitate & bonis exutum, & co-

tidianis vestris sarcasmis & insultationibus expositum, ex quadam veluti desperatione à Turcarum Sultano auxilium petere, nonne vestra ambitio, fastus, & animi impotentia potius, quam Palatinus, hac in parte accusanda esset? Necessitatis enim ratione ita ferente, Turcæ auxilium ipse Papa non dedignatur, uti refert ex Cominæo doctus & multæ Lætionis I. C. ^{tus} Christ. Besoldus lib. 2. Pol. cap. 6. n. 13. Quinetiam, si Comes Turnius à Principe Transylvano, & ejusdem sumptu Constantinopolim missus, non tantum res Principis magna cum fide & diligentia tractavit, sed etiam eadem opera sibi, reliquisque miseris exulibus Bohemis, & Moravis, ex quorum facultatibus & bonis jam complures Bavarici & Ligistici Thrasones lautè & splendidè vivunt, consulere studuerit, quis vel adeò imperitus est, ut miretur, vel adeò iniquus rerum æstimator, ut criminetur? Quod de cultro Mufti Turcici pro more mordaciter effutit Fabius, hac in parte illum iterum incerta & ficta pro veris & certis Lætori obtrusisse, jam post Comitum Turnij reditum in aperto est.

§. Verum ut finem: ait, Scivistis F. legitimum Bohemix regem, atque adeò agnovistis, imo regem esse professi estis, &c. Errat Fabius, & res longè aliter se habet. Electores Ecclesiastici F. regem agnoverunt, & ut talem in Senatum introduxerunt, trium Electorum Protestantium legatis non apertè repugnantibus: Veruntamen Legati Palatini in votis suis Francofurti semper causam Bohemicam à negotio Electionis regis Romanorum separarunt, jura ac privilegia regni expresse exceperunt, & Ordinibus Bohemix se nullo modo nec ulla in re præjudicare velle, in confesso Electorum aliquoties protestati sunt, uti hæc eorum protestatio etiam Electoralibus protocollis

tocollis ad perpetuam rei memoriam inserta fuit: qua de re latius videri potest Resp. ad Can. Bavar. Anh. par. 2. cap. 2. & 3.

Ait ibidem: Cum Bohemos, Coronæ Usurpatores, à summo illo Senatu, quem per impudentiam affectaverant, ignominia rubentes, repulistis; sed malè. Nam Legatis Bohemicis non ab Electorum Protestantium legatis (hi enim audiri illos æquum, & mori maiorum consentaneum putabant) sed à tribus Electoribus Ecclesiasticis, in absentia Electorum secularium suo arbitratu in Collegio dominantibus, contra libertatem & dignitatem Imperij, & contra jus gentium, aditus in Senatum & audientia dene-gata fuit.

Paulò post subjicit: Nec vis fati finit servum vince-re, ut Dominus serviat. Sanè hic (ut & aliquoties supra) Fabius innuit, Electorem Palatinum esse servum Cæsaris. Sed cui bono ista ingrata, & in libero Imperio sus-pecta & nescio quid absolutæ despoticæ potestatis redo-lentia verba aspergere? Nullus unquam Cæsar, nulli unquam consiliarij aulici illa usurparunt; solus littera-tor Bavaricus Fabius illa, in contemptum Statuum Pro-testantium præcipue, effundere audet. Nam Roma-nensibus suis illa non displicitura esse novit, quia hi Im-perium plenum regnum esse defendunt. Hac enim ra-tione facilius Religionem suam restitui posse confidunt, Christ. Besold. lib. 1. Pol. cap. 8. n. 5. Porrò si Electores Protestantes servi Cæsaris sunt (quod enim de Palatino dicitur, id etiam in reliquis duobus locum habere necesse est) quo loco & numero erunt reliqui status inferiores, præcipue verò cives urbium Imperialium? Errat ergo Fa-bius manifestè. Nemo inter Protestantes est, qui subli-mitati & magnitudini Imperiali detractum aliquid velit: sed

sed in Republica Germanorum (ita enim à Thuano rectè vocatur lib. 2. Histor. paulo post principium) Principes, Comites, aliosque Imperij Status non proprie dici subditos solius Imperatoris, sed potius, & verius Imperij subditos, & membra esse, inter alios docet Christ: Besoldus lib. 1. Pol. cap. 8. n. 7. Faceſſat ergo ex libero Imperio Domini & ſervi appellatio, vix Landſaſſijs & ruſticis Bavaricis ferenda.

Hoc loco, quia Fabius verbis finem ſe imponere velle dicit, & nos accedemus paulatim ad conſuſionem hujus ſcriptiunculæ, quam nobis invitis, & veluti reluctantibus, nimia amarulentia, & aculentus ſtylus Fabij expreſſit. Cæterùm mirari ſubit, quid ſibi velint Bavari, quod in meſſem Aulici conſilij Imperialis falcem immiſerunt. Hujus enim proprie erat, ex actis, Pragæ repertis, excerpere, ſi quid inerat legibus Imperij minùs conſentaneum, & ab auctoribus modo in Imperio conſueto rationem dictorum & ſcriptorum repoſcere. Sed credibile eſt, homines prudentes & circumſpectos Bavaris hanc provinciam, quam odioſam fore prævidebant, lubentes tradidiſſe. Nec mora, provolant Monachiennes, & Centonem ſuum Bavaro-Anhaltinum deproperant; omnibuſque Unitis, inprimis verò publicæ libertatis paulo ſtudioſioribus, dicam ſcribunt grandem: Et quia hi ſilendum ſibi (omnia ſi perdas, famam ſervandam eſſe memores) non putarunt: Bavari ſupercilia adducunt, frenos iracundiæ laxant, convitia cumulant; ad ſummam, tanquam pro tribunali ſedentes, judicant, condemnant, meras proſcriptiones, pœnas, ſupplicia crepant. Verùm, quantum conjicimus, ideò feroces ſunt, quòd jam Electorem quo jure quæve injuria domi ſuæ habent: fortaſſis etiam Cæſarem propediem ſe habituros ſperant, &
proinde

proinde Vice-cancellariatus, Referendariatus, & Bibliothecariatus Cæsareos sibi somniant. Etsi enim Bibliothecæ Monachiensis, præsertim Palatinæ spolijs nuper adauctæ, custodem & præfectum agere, honorificum & non contemnendum munus est: tamen Bibliothecarium Cæsareum Bibliothecario Monachiense longè nobiliorem esse inde apparet, quòd etiam Barbitonsor & Coquus alicujus Ducis non tam nobiles sunt, sicut sunt Coquus & Barbitonsor Imperatoris, ut in terminis traditur per Ludovicum Rodolphinum in tractatu de origine, dignitate, & potestate Ducum Italiæ, nu. 68. 69. & 70. ubi plures allegat, & hanc doctrinam notabiliter firmat. Sed mittimus hæc, & colophonem opusculo imponentes, duo breviter lectori exponimus. Prius hoc est: Palatinus passim à Bavaris, tanquam miserè, aliena quadra, & in contemptu vivens, depingitur. Verùm illi aut fallunt, aut falluntur. Nam Palatinus in luce hominum vivit, & ab omnibus debito honore & cultu afficitur. Mensa ejus regie instruitur: totus Comitatus aulicus, non exiguus sane, honeste, imo splendide vestitur: laute ac copiose cibatur: & multos Principes, domi suæ in pace & quiete viventes, hac in parte ab ipso longo intervallo superari res ipsa loquitur. Liberos etiam Leidæ in bonis litteris, & in omnibus ætati eorundem convenientibus corporis exercitijs institui curat, & omnia, quæ ad liberalissimam, & tali loco natis dignam, educationem necessaria sunt, subministrat. Ædes laxæ, & splendidæ, in quibus aulæ sedem habet, à legatis Regum, & potentissimarum Rerump. à Principibus, Comitibus, Baronibus, primaria nobilitate, & hominibus militaribus diversarum nationum tanto numero frequentantur, ut præ illo, solitudo ante ostium & intra Palatium Monachiense esse, verissime dici possit. Harum rerum plurimi


I

sunt

sunt oculati testes, qui cotidie ex Imperio & alijs regnis Hagam veniunt, & in his nonnulli aulici Dresdenses. Posterius Dominum Camerarium concernit, quem vos Bavari miserrime, & in summo contemptu vivere scribitis, sed sine omni fundamento. Nam Dn. Camerario ad honestissime cum familia sua vivendum nihil deest: ab omnibus bonis amatur, & colitur: Cogitat omne solum forti patriam esse: vivit cum animi tranquillitate, & libere in libera Republica; luculentis etiam magnorum regum, si conditiones accipere animum inducat, stipendijs honorandus. Sed hic subsistimus. Valeat Fabius cum grege suo Bavarico, & fortunam reverenter habere discat.

F I N I S.





SEC

VERA
DETEC
RVM DE
RVM, AC PI
quas correspon
bus adhuc in toto
HEMICI; &, resp
pum, adeoq; vniu
blico quam Eccles
gulari diuina prou
rundemue Co
ipsis oo

NVNC TA
PRINCIPIB
perii Ord
ni

AN-

ANA
STINA-
ONSILIO-
ATIONVM &c.
tores, duranti-
leue REGNI BO-
exterorum Princi-
tionem tam in pu-
nt; quæ autem fin-
ntra Bohemos co-
n Pragensem, in
sub O-
oi

QVILINIS
S. ROM. IM-
nanæq; admo-
gratæ

